



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsque Signatvræ Referendarii  
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,  
omnibusque conscientiæ nodis**

**Bonacina, Martino**

**Coloniæ Agrippinæ**

P.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41152**

carpes contactus, &c. sæpius recidunt, eo quod domi occasio-  
nes habeant, an tales absolvi possint, antequam peccati occa-  
sio sit remota.

Resp. Si occasiones illæ sunt veniales, ut quarundam cho-  
tearum, colloquiorum vanorum, & amplexuum, posse eos  
absolvi semper, et si non proponatur in posterum cavere illas  
occasiones.

Resp. 2. Si occasiones illæ peccandi sunt moraliter remo-  
tæ, & generales tantum, posse etiam eos absolvi, antequam  
peccandi occasio amoveatur, modo duo observent.

1. Doleant de lapsu, 2. proponant firmiter, cum occasio se  
obtulerit non consenturos. Resp. 3. si occasiones peccandi  
moraliter sunt proximæ & tolli posse videantur sine scanda-  
lo, infamia, & magno incommodo, non posse dari absolutio-  
nem; si verò aliquo modo possint tolli post 3. vel 4. impartitã  
absolutionem, deinceps absolutione esse differendam, donec  
ocasio ablata sit; si verò occasiones illæ nullo modo tolli  
posse videantur, posse quidem absolvi, si adsint duæ conditio-  
nes allatæ id deinceps tollendi. Deinde aliquando sociis cri-  
minis dicant sibi negandam absolutionem; nisi abstineant.  
Syl. l. 3. man. Rufæus.

P!

Pallium.

Pallio, quo significatur plenitudo officii Pontificalis, utitur  
Archiepiscopus, in Missa solemni, in provincia, non autem  
extra Ecclesiam, ut in processionibus, aut aliis, nec id potest  
alteri commodare. Syl. v. pallium c. pallium d. 100.

Antequam pallium accipiat, non debet ordinare, aut con-  
secrare, nec Ecclesiam dedicare, nec concilium vocare, Syl. l. 6.  
vid. Cucum. l. 1. Inst. canon.

Debet cum eo sepeliri, Syl. l. 6.

ADDITIO.

Papa.

Nulla excommunicatio aut censura impedit Papæ electio-  
nem, Ex Pio V.

Ii

Tra-



Tractans de eligendo Papa, Papa vivente, est excommunicatus excommunicatione Papæ reservata. *Ex Paulo 17.*

Papæ subditur omnis potestas, etiam sæcularis, quæ exigit alius animarum, vid. *Sot. d. 25 q. 2. art. 1. Alb. Pigh. hierarch. Eccl. Sander, l. 2. c. 2. de visib. monarch. Nav. in c. vit. de ind. not. 3. Dried. l. de lib. Eccles. 15. 16. Walden. doct. fid. art. 3. à cap. 76. Bellar. tom. 1. lib. 5. de Summ. Pontif. 67. Mol. tom. 1. d. 29. col. 153.*

Quidam Jurisconsulti tamen putarunt, Summum Pontificem supra omnia civilia potestate pollere, vid. *Nav. Mol. l. c. Bellar. cap. 2. 3. l. c.*

## ADDITIO.

## Parentes.

Vid. v. *Charitas, Decalogus, Alimenta, Hereditas, Societas.*

De potestate patris in filios *Mol. d. 23. de arrogatione & adoptione. d. 227.*

De peccatis parentum in filios. *Nav. c. 14. à num. 17. Tol. lib. 5. c. 1. num. 11.*

In extrema necessitate potius subveniendum filio, iuxta quosdam, secundum alios patri, quod probabilius, & quidem in vitæ periculo pater præferendus est, etiam ei cui fuerit oratorum, intelligitur enim exceptus pater. Ita *Tolet. l. c. 1. 1. 7. & de pecc. mort. 39. Syl. v. filius §. 26. & v. elemosyna, num. 4. vid. Fum. v. elemosyna num. eod. Lopez p. 1. c. 58. Val. tom. 3. 3. q. 4. p. 5.*

Pater non potest impuberem offerre religioni, invita matre. *Innoc. Panorm. in c. 2. de reg. Syl. v. patris potestas.*

In rebus gravioribus, in quibus filius patri subditur, potest ei pater aliquid sub mortali præcipere. *Lopez l. c. & vir uxori, Sot. l. 1. q. 6. art. 4. in fin. sed dominus in famulos, reliquæque familiam non potest. Sot. l. c.*

## ADDITIO.

## Parochus.

Vide v. *Residentia, Beneficiarius.*

Parochus tenetur tempore pestis ministrare salutem necessarios



na sacramenta: aut dare, qui ministret contagione affectis. Ca-  
 tit. 2. q. 26. art. 3. dub. 4. *vers. ex dictis*. imò Sacerdos quilibet  
 extrema necessitate ex Navar. c. 25. n. 133.

Parochus habet jure communi á Papa jurisdictionem,  
 quam non potest Episcopus impedire absque causa.

Parochus nondum Sacerdos potest omnia ad parochum  
 spectantia per se exercere, exceptis iis quæ ad ordinem spec-  
 tant. Nav. lib. 4. conf. 9. n. 4. de des. claud.

## Peccatum.

Vide v. *Contritio, Pœnitentia*.

## Peccatum originale.

1. Datur peccatum originale, quod in ipsa humanæ carnis  
 conceptione contrahimus, & cum quo in hanc lucem nascen-  
 tes edimur, juxta Psalm. 50 *In iniquitatibus conceptus sum. & in  
 delictis peperit me mater mea*. Peccatum originale cum solo  
 originali, v. g. mendacio inveniri posse non implicat. som. 2. de  
 peccatu, dist. 2. q. 1. punct. 1. n. 2. & 3.

2. Peccatum originale est privatio justitiæ & sanctitatis de-  
 bitæ inesse singulis ex pacto factò a Deo cum Adamo, non  
 est autem ipsamet animæ substantia: (alioqui Deus creans a-  
 nimam, crearet etiam peccatum originale,) neque concupi-  
 scentia; quia per Baptismum tollitur peccatum originale, &  
 quidquid peccati rationem habet, per Baptismum autem non  
 tollitur concupiscentia. *Ibid. punct. 2. num. 4. 6. & 7.*

3. Peccatum originale veram peccati rationem habet. Nec  
 refert, quod non sit voluntarium in nobis voluntate propria,  
 sed sufficit quod sit aliena, id est Adami, quatenus nos cense-  
 mur consensisse in peccatum Adami cum Deo factum in no-  
 strum commodum & utilitatem de transmittendâ in nos ju-  
 stitia originali Adamo servante pactum. *Ib. num. 10 & 11.*

4. Omnes homines sive sint fidelium sive infidelium filii.  
 peccatum originale contrahunt ex peccato Adami per semi-  
 nalem generationem, nisi aliquis peculiari privilegio ab hoc  
 onere eximatur, ut de facto exempta fuit beatissima Virgo,  
 quæ tamen debitum seu obligationem habuit contrahendi  
 matrimonium originale, sed de facto præservata fuit, ne cum  
 peccato originali conciperetur & nasceretur. *Ibid. punct. 3. n. 4.*  
 & seq. li 2 5. Po-



5. Posterius peccatum originale non contraxissent, Ad pactum cum Deo initum non violante, etiamsi alia peccata commisisset. *Ibid. num. 6.*

6. Non contraxisset peccatum originale qui genitus vel natus, vel conceptus fuisset ante peccatum Adæ; & etiam si non contraheret is, qui de novo miraculosè creatus, aut ab Adamo non descenderet per seminalem generationem. *Ibid. nu. 7. & 10.*

7. Traducitur peccatum originale ab Adamo quatenus in initio corporis cum anima rationali efficitur ab homine generante, quamvis anima suum esse habeat à Deo per creationem. *Ibid. n. 11.*

8. Pueri cum solo originali decedentes puniuntur poena damni, id est, privantur visione Dei; hinc discere quàm graviter peccent parentes, aut alii qui pueros sine baptismo decedere permittunt, jureque merito poena excommunicationis afficiuntur, qui abortum foetus præsertim animati procurant. *Ibid. punct. 4. n. 2. & seq.*

9. Pueri cum solo originali decedentes, non sunt puniendi poena sensus, id est, non sunt puniendi poena qua damnati cruciantur in inferno propter peccata actualia; sunt tamen adducendi in iudicium, ut reassumptis corporibus in tenebras destinentur ob peccatum originale. *Ibid. num. 7. & 8.*

10. Homines in hoc mundo patiuntur aliquas poenas ob peccatum originale, scilicet ægritudines, rebellionem appetitum, & alias ingentes & innumeras miseras, quas passim non fuissent, si Adam non deliquisset, pactumque cum Deo initum non violasset. *Ibid. n. 9.*

*Peccatum actuale & habituale.*

11. Peccatum actuale materialiter vel à posteriori multipliciter definitur Peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei æternam. Vel: Peccatum, præsertim mortale, est aversio à Deo, & conversio ad creaturam. Vel: Peccatum est actus contra rectam naturam hominis ut homo est. *Ibid. quest. 2. punct. 1. nu. 1, 5 & 6.*

12. Peccatum verò actuale formaliter & à priori hoc pacto definitur: Peccatum est privatio debitæ rectitudinis; consequenter ratio formalis peccati consistere videtur in privatione debitæ rectitudinis. Ad clariorem hujus propositionis intelligentiam.



Intelligentiam adverte duo considerari in peccato; materiale  
scilicet, & formale: materiale peccati commissionis est actus;  
formale verò est privatio rectitudinis debitæ illi actui, seu  
tali actui inesse deberet. Similiter ratio formalis peccati  
commissionis consistit in privatione actus debiti, ita ut commissio  
maliter sit mala, quatenus debitam non habet rectitudi-  
nem. *Ibid. num. 12. & seqq.*

13. Peccatum habituale est quædam macula quam post se  
relinquit peccatum actuale. Hæc macula consistit in malitia  
actus præteriti perseverante per modum habitus, seu ut aliqui  
dicunt, in extrinseca denominatione ab actu præterito non  
retracto per pœnitentiam; & in privatione gratiæ habi-  
tuali. *Ibid. punct. 2. n. 1. & 2.*

14. Ad peccatum mortale requiritur plena & perfecta cogi-  
tatio, seu expressa advertentia malitiæ, vel saltem expressa ali-  
qua dubitatio, seu scrupulus peccati. Unde non jejunaus ali-  
quo die excusatur, si de jejunio nihil cogitavit. Excusatur  
quoque projiciens saxum per fenestram, non advertens ad pe-  
culum lædendi: committiturque unum tantum modo pec-  
catum, si peccatum duplicem habeat malitiam, & peccator u-  
nam tantum advertat. *Ibid. punct. 3. n. 3. 5. 6. & 9.*

15. Motus sensualitatis prævenientes usum rationis non  
sunt peccata; propterea semidormientes & non plenè adver-  
tentes ad malitiam, non mortaliter peccant, si pollutionem  
patiantur. Neque sufficit ad mortale ut aliquis potuerit sim-  
pliciter, vel debuerit malitiam considerare, sed requiritur ex-  
pressa consideratio malitiæ, vel ipsius periculi; vel expressa  
dubitatio, seu suspicio aliqua malitiæ, vel periculi, alioquin in-  
advertentia, seu oblitio censetur invincibilis & inculpabilis.  
*Ibid. num. 10. & seq.*

16. Ratio advertentia malitiæ deest in iis, quæ jure naturæ  
sunt prohibita, exceptis subitis quibusdam motibus, de qui-  
bus vide v. *Matrimonium q. 4. Ibid. n. 13.*

17. Ad peccatum requiritur quidem consensus saltem vir-  
tualis, non verò necessarius est consensus directus & expres-  
sus. His adde, levem negligentiam admittentem in repellen-  
dis tentationibus, non mortaliter peccare. *Ibid. num. 15. & seq.*

18. Nullus actus deliberatus est in individuo, seu in particu-  
lari indifferens, sed quilibet actus deliberatus in particulari  
bonus est vel malus: hinc sequitur, verbum otiosum malum  
esse, & actum fricationis barbæ, aut subveniendi proximo



ob utilitatem, bonum. *Ibid punct. 4. num. 1. & seq.*

19. Actus versans circa omissionem, cujus actus contra bonum est, est malus: actus autem indeliberatus factus ratione non advertente, est indifferens *Ibid num. 4. & 5.*

20. Dantur aliqui actus qui secundum speciem nec boni nec mali sunt, at nullus in individuo datur, qui non sit bonus vel malus, si deliberatè fiat. *Ibid n. 6.*

21. Malitia peccati & injuria ac offensa Dei, quæ in peccato reperitur, non est intrinsece infinita, alioquin sequeretur omnia peccata mortalia esse æqualia, cum unum infinitum non sit majus alio: est tamen malitia peccati, seu injuria & offensa peccato infinita extrinsece & terminativè; cum fiat per se, videlicet Deo. *Ib. punct. 5. n. 1. 2. & 3.*

*Peccatum mortale & veniale.*

22. Peccatum veniale est leve erratum, & reddat homines dignos pœna solum temporali. Non dicitur veniale, eò quod sit contra consilium, mortale verò contra præceptum; neque quia sit præter legem, mortale verò quia sit contra legem: dici potest veniale quatenus non privat gratia & charitas, quemadmodum peccatum mortale. *Ibid. quæst. 3. punct. 2. n. 1. & seq.*

23. Dari potest peccatum mortale ex suo genere, quod defectu plenæ deliberationis, aut advertentiæ, aut parvitas materiæ, fiat veniale, ut est furtum unius assis quod ex suo genere est mortale, posita materia sufficiente, & non mutata specie furti; tamen hic & nunc est veniale ratione parvitas materiæ. *Ibid punct. 3. num. 4.*

24. Non datur in qualibet materia parvitas rei seu materiæ, ratione cujus peccatum quod alioquin fuisset mortale, efficitur veniale, ut videre est in ea materia, in qua reperitur integra ratio injuriæ & offensæ mortalis, qualis est materia simoniæ: nam si quis vendat rem spiritualem, licet valde modicam & parvam, peccat mortaliter. Tunc autem semper datur parvitas materiæ, quando res non solum erit parva, sed etiam ratione circumstantiarum. *Ibid. n. 11. & 12.*

25. Sicut peccatum mortale efficitur ex accidenti veniale, ita peccatum veniale fieri potest mortale ex his capitibus: ratione finis mortalis adjuncti; ob plenam advertentiam posita materia notabili; ratione specialis contemptus in materia gratæ



aut specialis inobedientia; ratione proximi & moralis peccati incidendi in mortale; ratione conscientia erronea aut scandalosa, aut per additionem materiae, quatenus peccatum quod ratione parvitaris materiae esset tantummodo veniale, in mortale addita majori quantitate. Item peccatum veniale in mortale, quando ultimum veniale continuatur cum materia precedentium, & materiam notabilem complet; propter illud junium peccat, qui saepius exiguum quid eodem tempore comedit, si ea quae degustantur, efficiant materiam notabilem. *Ibid. punct. 5. n. 2. 3. 6. 17 & seq.*

26. Idem numero peccatum veniale, manens idem in genere motus, non potest fieri mortale, neque è contra. *Ibid. n. 21*

27. Contemptus in materia levi, est peccatum veniale, quando non est contemptus formalis Dei, aut legislatoris ut sic. Contemptus formalis explicandus est in confessione, quia novam specie malitiam actui superaddit, *ib. n. 15. & 16.*

*Distinctio specifica & numerica peccatorum.*

28. Peccata non sunt inter se connexa, neque paria, ut patet. *Via quaest. 4. punct. 1. num. 1. & 4.*

Peccatum consideratum secundum rationem specificam, si inferioris ordinis, non potest crescere & superare malitiam peccati superioris ordinis: sicut argentum quantumvis magna eum diligentia purgetur, numquam perveniet ad perfectionem specificam auri, cum habeant essentiam diversam. Unde autem fiat ut peccatum ita crescere possit, ut gravius & deterius fiat, contingit ex sequentibus capitibus & circumstantiis: ex majori affectu vel conatu, ex majori scientia & cognitione peccati, ex conditione personae peccantis, & in quam peccatur, ex majori damno quod infertur, ex peiori fine, cum peccatum aliqua ratione specificetur à fine, ex ratione scandalii & ruinae alterius, denique ex his circumstantiis:

*Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.*

29. Adverte ut circumstantia novam addat actui malitiam, aliquando debere expresse intendi, aliquando non. Debet intendi quando substantia actus peccati, cui circumstantia communicat malitiam, non potest subsistere, nisi circumstantia intendatur: quando vero substantia actus subsistere potest circum-



circumstantia expresse non intenta, non est necesse circumstantiam intendere, sed peculiaris malitia contrahitur, quam circumstantia non intendatur. Ex quo sequitur habentem congressum cum alterius uxore committere adulterium quamvis rejiciat circumstantiam *aliena uxoris*. Surripere quoque rem sacram, sacrilegium committit, etiamsi expresse non intendat inferre injuriam rei sacrae. *Ibid. num. 5 & seq.*

30. Non sunt tot numero peccata, quot sunt objecta circa quae unus & idem actus eodem tempore versatur, sibi in modi objecta sint ejusdem rationis quae vicem unius gerant, sed tot sunt peccata, quot sunt actus voluntatis moraliter interrupti, ideo explicandi sunt confessione. Actus autem voluntatis tunc interruptitur, quoties nec formaliter nec virtualiter durat: unde habens animum furandi, & interjecta aliqua mora furatur, duplex peccatum committit. Item sunt plura peccata, quando plures actus successivè versantur circa plura objecta distincta *Ibid. punct. 2. num. 1 & seq.*

31. Actiones ex externa moraliter conjunctae cum actu interno voluntatis non constituunt novum peccatum, nisi isti actus propriam habeant malitiam ab actu interno distinctam *Ibid. n. 8.*

32. Repetens eodem impetu irae multa convicia, blasphemias, &c. unum tantum peccatum committit; quia prior voluntas perseverat, & prius peccatum videtur moraliter continuari cum subsequenter, ita ut omnes illi actus unam iram vel pugnam integre videantur. *Ibid. num. 11.*

33. Regula ad cognoscendam distinctionem numericam peccatorum, sic haec:

34. Peccata numero distinguuntur per multiplicationem objectorum, circa quae actus successivè versantur, non vero ex multitudine objectorum, circa quae unus & idem actus eodem tempore versatur: deinde per multipliciter actuum voluntatis moraliter interruptorum; quamquam etiam aliunde peccata numero distingui possunt, videlicet ex circumstantiis & finibus. *Ibid. num. 14.*

35. Qui alium inducit ad peccatum, intendens ipsius nocuum spirituale, peccat duplici saltem peccato, scilicet peccato scandali, & eo peccato quod ab altero committitur: nam qui est causa peccati, reus est illius peccati cujus est causa: hinc qui inducit alium ad peccatum veniale, intentione ut venialiter peccet, peccat tantum venialiter. *Ibid. §. 1. num. 8 & 9.*



36. Qui alium ad peccatum inducit, seu cooperatur peccato alterius, non intendens ruinam, nec cum eo consummans peccatum, est reus illius peccati quod alter committit. Qui vero alium inducit ad peccatum, simulque cum ipso consummat peccatum, reus videtur duorum peccatorum, etiamsi non intendat ruinam proximi spiritualem; quamobrem is qui inducit alterum ad furtum, & furtum cum ipso committit, dupliciter peccat. *ibid. num. 12, 15. & 16.*

37. Quæres: quando nam dicatur aliquis cooperari peccato alterius, seu alterum ad peccatum inducere. Res: quando facit aliqua quæ de se alliciunt & inducunt ad peccatum; aut quando aliquid licet ex se indifferens facit ea intentione, ut alter peccet; aut quando absque iusta & sufficiente causa facit opus indifferens quo alios credit abusuros ad peccatum. *ibid. num. 17.*

38. Non eadem causa censetur sufficiens & iusta ad honestanda omnia opera indifferencia, sed major in uno quam in alio casu requiritur: & major causa requiritur in eo qui facit aliquid quo alter est abusurus contra iustitiam, quam quando non est abusurus contra iustitiam. *ibid. num. 19.*

39. Peccat qui facit vel petit aliquid ab eo, qui paratus erat ad illud faciendum seu ad peccandum, etiamsi faciat vel petat aliquid opus indifferens, modo non faciat vel præstet tale opus ex iusta & rationabili causa. *ibid. num. 21.*

40. Excusari possunt à mortali locantes domos meretricibus, usurariis etiam publicis, non tamen alienigenis, & præcisa prohibitione; hi enim locando ad habitandum utuntur jure suo. Item famuli comitantes herum ad meretricandum; exculantur à peccato, si periculum sit gravis damni desistendo: nam comitari simpliciter censetur actio honesta; secus dicendum de vendentibus vinum absque iusta causa iis quos probabiliter credunt lapsuros in ebrietatem, hi enim mortaliter peccant. *ibid. num. 22, 23, 26. & 32.*

41. Excusatur vir habens suspensionem de uxoris adultério, & testes idoneos assumens, ut eam deprehensam convincant de crimine adulterii. At non potest uxor de consensu mariti ficto amasio consensum præbere, ut amasio comprehensus percutiatur; hæc enim actio intrinsecè est mala, & censetur inductio & cooperatio ad peccatum amasii. *ibid. num. 33. & 34.*

42. Non peccat mortaliter qui facit aliquid opus indifferens:



differens, quo alter jam paratus abutetur ad peccatum, sed illud opus indifferens alter faceret, si ipse non faceret, secus si faciat opus intrinsecè malum, aut si tale opus licet indifferens censeatur proxima peccati causa. Ex quibus colligitur, excusari caupones, &c parentes cœnam aut jentaculum nolenti jejunare, si nolens jejunare inveniret alios cibos; aut si dubitent, an qui non vult jejunare, teneatur ad jejunium. *35. & 37.*

43. Consulens minus malum parato facere majus, non peccat; secus si consulat majus parato facere minus. *ib. n. 30.*

44. Faciens aliquid malum coram aliis quos probabiliter credit non peccaturos occasione pravi sui operis, non peccat mortaliter peccato generali scandali; consequenter non tenetur ad hanc circumstantiam in confessione detegendam. *ibid. num. 43.*

45. Peccata distinguuntur specie per ordinem ad diversa specie perfectiones, non verò per ordinem ad diversa præcepta, quibus aliquid præcipitur vel prohibetur ex eodem motivo; secus dicendum est si peccata prohibita sint pluribus præceptis ex diverso motivo conditis; tunc enim peccata sunt specie diversa: propterea initiatus sacris ordinibus duplex peccatum committit, si consentiat in actum venereum: & Fr. Minor non jejunans die Veneris in quem incidit vigilia ex præcepto colenda, duplex committit peccatum, videlicet contra votum, & contra Ecclesiæ præceptum, quæ sunt duo diversa motiva; secus dicendum de eo qui omitteret Missam die Dominico, in quem incidit festum alicujus Sancti, v. g. Apolloli, is enim non committit duo peccata, sicut neque possidens plura beneficia, si divinum officium prætermittat: cum hæc obligatio imposita sit ex eodem motivo religionis, ut beneficiarius rebus sacris vacet. *ibid. punct. 3. n. 1. & seq. Item*

46. Faciens aliquid prohibitum duplici præcepto, simplici scilicet, & alio habente adjunctam excommunicationem, committit unum tantum peccatum, modo præcepta lata sint ex eodem motivo, *ibid. num. 14.*

*An peccatum omissionis differat specie à peccato omissionis.*

47. Peccatum omissionis differt specie à peccato commisionis, non solum si hæc duo peccata materialiter considerentur, verum etiam formaliter secundum inordinationem



nem & propriam malitiam; cum peccata commissionis & omissionis privent perfectionibus diversis, habeantque specialem oppositionem cum recta ratione. *ibid. punct. 4. num. 1.*

48. Peccatum commissionis, ceteris paribus, gravius est peccato omissionis, quia peccatum commissionis immediate privat bonitate debita actui, peccatum verò omissionis mediate tantum privat bonitate quæ deberet inesse actui. *ibid. num. 2.*

49. Omissio incurritur eo solum tempore quo implendum est præceptum, v.g. omissio sacri incurritur solum ea hora, qua Missæ sacrum audiendum est: malitia vero omissionis incurritur quando omissio contingit, si tunc homo utatur ratione & libertate: si verò ratione non utatur aut libertate, incurritur quando apponitur causa omissionis, modo fiat cum advertentia futuræ omissionis. Ex quo fit ut qui se dat somno, prævidens fore, ut non sit à somno excitatus tempore audiendæ Missæ, incurrat malitiam omissionis sacri, dum apponit causam omissionis sacri, id est, quando se dat somno prævidens sacri omissionem. Idem ceteris paribus dicendum de peccato commissionis: propterea faciens contra leges & præcepta quæ scire tenetur tunc temporis, quo non potest illa discere, peccavit quando potuit ignorantiam vincere & noluit. *ibid. num. 4.*

50. Actiones quæ sunt causa omissionis, sunt malæ & peccaminosæ; consequenter ludus, quo quis tempore Missæ audiendæ detinetur, malus est & peccaminosus, sicut & projectio Breviarii in mare ne recitetur divinum officium, mala est & peccaminosa: quia per hanc projectionem auferitur facultas recitandi divinum officium. Intellige autem has actiones quæ sunt causa omissionis, esse malas quoties omissio præcepti imputatur ad peccatum, non solum si actiones sint ex se indifferentes, verum etiam si sua natura bonæ sint. *ibid. num. 13 & seq.*

51. Quæres, quænam actiones censeantur causa omissionis? Respond non solum propositum omittendi rem præceptam, sed etiam omnes actiones, quæ primo eliguntur elicto proposito omittendi rem præceptam, esse causam omissionis. *ibid. n. 16.*

52. Quando simul concurrunt duo præcepta impossibilia, servandum est majus; propterea præceptum naturale divinum servandum est, quando concurrit cum solo divino



divino vel humano: & si præceptum divinum vel naturale concurrat cum humano, servandum est divinum vel naturale; si negativum cum affirmativo, negativum anteponendum est affirmativo. Similiter servandum est præceptum altioris virtutis, si concurrat cum inferioris virtutis præcepto. *ibid. n. 18. & seq.*

53. Eligens ad impletionem minoris præcepti relicto graviori, peccat venialiter vel mortaliter, juxta parvitatem vel magnitudinem excessus inter majus & minus. *ibid. n. 24.*

54. Peccata quæ complentur in corde ac voluntate, differunt specie à peccatis quæ perficiuntur & consummantur in ore vel opere; si tamen considerentur ut sunt origo & principium, seu dispositio ad peccatum operis, non differunt specie, quia considerantur ut perfectum & imperfectum in eadem specie. Hinc sequitur, voluntatem furandi, fornicandi, &c. esse ejusdem speciei cum furto, fornicatione, &c. *ibid. punct. 5. num. 1. & seq.*

55. Petes, quid significet conscientia? Significat dictamen rationis, quo ratio dicit aliquid fugiendum, vel faciendum

Conscientia licet erronea obligat ad faciendum id quod ipsa conscientia faciendum dicit per modum præcepti, & non tantum per modum consilii: abstinendum tamen est ab eo quod conscientia vincibilis dicit esse malum. *ibidem punct. 6. num. 1. & II*

56. Conscientia invincibiliter errans magis obligat quam præceptum Superioris, secus si conscientia vincibiliter erret. *ibid. num. 17.*

57. Faciens contra conscientiam erroneam falso credens esse peccatum, committit peccatum illius speciei quam conscientia apprehendit. Ex quo fit ut qui credit esse peccatum sacrilegii expuere in terram, sacrilegium committat si in terram expuat, Quod si conscientia invincibiliter erret dicens actum esse bonum, cum re vera sit malus, actus est bonus. *ibid. num. 18. 19. & 23. Item*

58. Putans ex conscientia erronea invincibili utramque contradictionis partem esse peccatum, peccat quamcumque partem eligendo: at qui alias ex conscientia erronea credit aliquid opus esse peccatum, sed dum illud præstat, non amplius actu de peccato dubitat, excusatur à peccato *ibid. n. 27. & 28.*



59. Si conscientia fuit temere & absque fundamento concepta, deponi potest absque ulla ratione, judicando ipsam conceptam fuisse sine ratione & fundamento, quia res per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur sed conscientia erronea suborta fuit absque ratione & fundamento, ut supponitur, ergo, &c. *ibid. num. 30.*

60. Dubium propriè dictum est quando intellectus neutri parti assentitur, sed manet in æquilibrio, vel ferè manet in æquilibrio absque determinato assensu alicujus partis, licet fortè majorem habeat inclinationem & propensionem ad unam, quam ad alteram partem. Qui habet dubium speculativum, in praxi debet formare judicium simile speculativo, nisi ratio evidenter aliud suadeat, *ibid. punct. 7. n. 1. & 2.*

61. Peccat peccato ejusdem speciei, cujus est peccatum de quo dubitat, qui cum conscientia practicè dubia aliquid operatur: secus si aliquid operetur non practicè dubitans; consequenter, qui percutit laicum putans esse clericum, peccat contra reverentiam Ecclesiasticis personis debitam. Item peccat ille, qui speculativè certus est licitum esse in die festo docere, sed, dum docet, dubitat, an hic & nunc sibi liceat: nam docet practicè dubitans id sibi licere; secus dicendum de operante serviliter in die festo, si credat sibi licere ob necessitatem. Similiter dubitans, an liceat rem alienam capere, sed practicè deponens dubium, & furripiens in extrema necessitate, non peccat. *ibid. num. 3. 4. 6. 10. & 11.*

62. Petes, quid requiratur, ut conscientia practicè deponatur, & vincatur dubium speculativum. Respond. requiri debitam diligentiam in ea rei veritate inquirenda, quam ratio postulat pro rei, temporis, loci qualitate & conditione: & præterea requiritur justa aliqua causa deponendi practicè dubium speculativum: justa autem causa censetur judicium & consilium bonorum & doctorum virorum, & possessio; & ut cognoscatur quis possideat, standum est iudicio fori externi, quando aliunde veritas non apparet. *ibid. num. 12.*

& seq.

63. Ex quibus collige, dubitantem, an excommunicationem contraxerit, non teneri se tamquam excommunicatum gerere, si præstita debita diligentia non potest rei veritatem invenire. At qui dubitat, an justè lata sit excommunicatio, vel à legitimo Superiore, excommunicationem incurrit, si contra legem fecerit, quia possessio stat pro lege & pro ex-

commu-



communicatione; secus si dubitetur utrum lata sit sententia excommunicationis, vel utrum adimpleta sit talis conditio. *ibid. num. 15. 16.*

64. Possessor bonæ fidei, aut qui matrimonium contraxit, si postea dubitet rem suam esse, vel matrimonium fuisse validum, potest dubium practicè deponere, sibi que rem illam detinere, aut debitum ab uxore petere; at qui dubitat, an homicidium sua culpa contigerit, tenetur se tamquam irregularem gerere, quia præsumptio in hac re stat contra ipsum. *ibid. num. 20. & 21.*

65. Scrupulus est quædam suspicio orta ex levibus indiciis, v.g. melancholia, ignorantia, &c. consequenter ille dicitur scrupulosus, qui dubitat ex levibus fundamentis, seu indiciis & motivis. Non est peccatum facere aliquid depositum, vel etiam perseverante scrupulo. Ex quo fit, ut probabiliter sibi persuadens aliquid esse licitum, possit tuta conscientia illud agere, non obstantibus apparentibus in contrarium occurrentibus. *ibid. punct. 8. num. 1. & seq.*

66. Possumus absque peccato sequi opinionem probabilem, seu eam quæ non levi fundamento nititur, relicta probabiliori & tutiore, quamvis opinio probabilior & tutior, sit propria opinio & tenenda relicta probabili, si imminet aliquod periculum, ad quod vitandum prudentia, justitia, vel charitas dicet oppositam sententiam eligi debere. *ibid. punct. 9. num. 4. & 5.*

67. Ex dictis infer, licere Confessario, aut interrogato respondere juxta opinionem probabilem, & eum posse se accommodare & conformare opinioni pœnitentis probabilis. Imò possunt excusari illi, qui plures adeunt Doctores, donec unum inveniant qui respondeat in sui favorem. *ibid. n. 6. 3. & seq.*

68. Possumus sequi opinionem probabilem non solum eximendo petentem ab obligatione, sed etiam obligationem imponendo, nisi petens requirat sententiam ejus, qui dat consilium. *ibid. num. 7.*

69. Vir prudens potest aliquando ob firmum fundamentum à communi opinione recedere; communis autem opinio est illa, quam multi Auctores classici ritè perpensis utriusque partis rationibus sequuntur. Item, Judex in ferenda sententia etiam in criminalibus causis, potest quam major fuerit opinionem probabilem sequi, modo opiniones sint æque



neque probabiles. Advocatus quoque vel causidicus potest tam in civilibus quam in criminalibus tueri causam in favorem sui clientis, quamvis putet adversariorum opinionem probabiliorem esse, modo tamen sua opinio sit probabilis.

*ibid. num. 11. & seq.*

70. Parstutior eligenda est in administratione sacramentorum, quando periculum imminet invaliditatis sacramenti, neque licitum est sequi opinionem probabilem relicta tutiori in sacramentis administrandis, nisi aliter postulet necessitas, aut nisi defectus proveniat ex parte suscipientis, *ibid. num. 18 & 19.*

71. Medicus tenetur infirmo præbere pharmacum, quod certo scit profuturum, omisso eo de quo dubitatur.

Quando autem nullum extat certum pharmacum, tenetur sequi tutiorem sententiam in eligendo pharmaco, potestque remedium dubium applicare, quando nulla est spes de salute infirmi, si tunc temporis nullum certum extet. Quod si Medicus tradat pharmacum infirmo ad sumendum de eo experimentum, graviter peccat contra justitiam, quoties non adest opinio probabilis de illo pharmaco, & ex alia parte Medicus habet remedia probabiliter utilia. *ibidem num. 20. & seq.*

*Causa efficientes, subjectum, & effectus peccatorum.*

72. Deus non est causa peccati, nec illi peccatum imputari potest neque determinat aut impellit ad malum eligendum, quia Deus non potest id velle, quod ipsius naturæ adversatur. Peccatum verò causæ sunt malitia peccatoris, infirmitas sensus, dæmonum suggestiones, superbia, &c. *ibid. quæst. 5. punct. 1. n. 1. & punct. 2. n. 1 & 2.*

73. Malitia actualis seu formalis peccati est in voluntate tamquam in subjecto, per denominationem verò extrinsecam est in aliis potentiis, quæ actus peccaminosos eliciunt: malitia verò objectiva convenit actibus illarum potentiarum à quibus eliciuntur, & in quibus consummantur. Quod attinet ad peccatum habituale, est in eo tamquam in subjecto in quo est habitualis perfectio qua privat. Unde peccatum habituale odii est in voluntate, quia in voluntate reperiri debet perfectio amoris & charitatis, qua privat peccatum odii, & sic de cæteris. *ibid. quæst. 6. punct. univ. n. 3. 4. & 8.*

74. Esse-



74. Effectus peccati sunt macula, reatus pœnæ damni le-  
sensus, diminutioque naturalis inclinationis ad virtutem,  
quatenus voluntas acquisito per peccatum habitu vitioso  
facilius movetur in malum. *ibid. quæst. 7. punct. 1. num. 1.*

75. Peccatum per se, & formaliter consideratum, quate-  
nus dicit culpam, non potest esse pœna alterius peccati, ut  
ut Deus velit hominem ob culpam præcedentem prolabi in  
aliud peccatum: si tamen peccatum consideretur secundum  
alia ipsi accidentaliter, ut ratione infamiae vel tristitiae, vel  
laboris, &c. unum peccatum potest esse pœna alterius. *ibid.*  
*punct. 2. num. 1.*

76. Nullus homo, si secundum se spectetur, potest pro  
peccato alterius puniri pœna propriè dicta, nisi etiam ipse  
deliquerit; aut modo non consideretur ut alteri aliquo titu-  
lo conjunctus, ut videre est in Davide, qui punitus fuit in  
suo populo, quatenus David considerabatur ut aliquid con-  
junctum cum suo populo ratione jurisdictionis. *ibid. punct. 3.*  
*num. 3. & 5.*

*Causa excusantes à peccatis.*

77. Sunt, dispensatio legis, seu præcepti validè obtem-  
perantia adimplendi præceptum, tam moralis quam phy-  
sica: vis absoluta, metus, seu probabile periculum gravis  
damni aut mortis, ignorantia invincibilis aut probabilis tam  
juris quam facti, & ignorantia comitans, saltem respectu  
actionis externæ. *ibid. quæst. 8. punct. 1. num. 1. & 2. & punct. 2.*  
*num. 3. & 7. & punct. 3. num. 1. 2. & 3. 4.*

78. Circa prædictam doctrinam advertere, eum qui to-  
tum præceptum adimplere nequit, teneri ad partem nota-  
bilem, si ea sit à Superiore intenta; & impotentem ad totum  
officium recitandum, teneri ad eam partem quam potest,  
modo sit notabilis. Idem dic de auditione Missæ. *ibid. punct.*  
*1. num. 4. 7. & 8.*

79. Advertere prætereà, peccare eum qui apponit impedi-  
mentum, quod proximè & per se impedit adimplentem  
præcepti. Unde peccat mortaliter qui triginta diebus navi-  
gaturus proiicit in mare Breviarium, ut liber sit ab obliga-  
tione officii recitandi. Neque excusatur excommunicatus,  
qui tempore Paschatis non confitetur, vel non communicat  
ob negligentiam in procuranda excommunicationis abso-  
lutione;



soluendi; secus dicendum de commorante domi die aliquo festo tempore sacri ad infirmi vel domus custodiam.

Similiter non peccat contra jejunium laboriosæ venationis dans operam, prævidens fore ut jejunare non possit, quia venatio videtur causa per accidens fractionis jejunii, nec præceptum jejunii prohibet venationem; limita tamen, modo id non fiat in fraudem jejunii *ibid. num. 10. & seq.*

80. Adverte rursus, dum diximus vim absolutam excusare à peccato, id intelligi dummodo voluntas & membra externa resistant. *ibid. punct. 2. nu 2.*

81. Præcepta, etiam humana, obligant sub mortali cum periculo mortis, vel alterius gravi damni, dum vitandum est grande scandalum, vel conservandum est bonum commune religionis, Reipublicæ, aut communitatis; secus si observatio horum præceptorum non est utilior, quam conservatio vitæ. *ibid. num. 5. & 6.*

82. Metus mortis potest excusare à transgressione jejunii, vel die festi, vel alterius legis humanæ vel divinæ, modo lex divina non prohibeat rem extrinsecè malam. *Ibid. numero 7.*

83. Parochus excusatur à peccato, qui ob periculum mortis non defert ad Episcopum eos, qui tempore præfixo non susceperunt pœnitentiæ & Eucharistiæ sacramentum. *Ibid. num. 10.*

84. Servanda est lex cum periculo mortis, quando quis alteri mortem minatur, nisi legem humanam violet in contemptum legis, vel in odium religionis, vel auctoritatis legis publicæ. *Ibid. num. 12.*

85. Comedens carnes humanas ex metu, excusatur, si eas per modum medicinæ comedat, non est tamen licitum occidere quemquam, ut ejus carnes quis per modum medicinæ comedat, cum hoc sit intrinsecè malum. *Ibid. num. 13. & 14.*

86. Potestne quis carnibus humanis vesci ad tuendam vitam in propositis casibus? Potest, sed hoc facere non tenetur. *Ibid. num. 15.*

87. Carthusianus, vel alter qui vovit abstinentiam à carnibus, potest & tenetur eas comedere, si illi evidenter necessariz sint ad vitam tuendam; neque peccat Medicus præbendo carnes Carthusiano indigenti. *Ibid. n. 16. & 17.*

88. Licitum est in gravi vitæ periculo vesci idolothytis, seu cibus idolo immolatis, modo astantes admoneantur, aut



noverint hoc fieri ad tuendam vitam, & non ad profitendam  
falsam Deorum religionem. *ib n. 18.*

89. Potest excusari à peccato qui habuit aliquam legis  
cognitionem, vel advertentiam, circa malitiam objecti, sed ad  
bita modica diligentia rei veritatem non cognovit; dicitur  
nim laborare ignorantia invincibili, seu probabili. Unde  
excusatur rusticus, vel vetula faciens aliquid consulto Parochi  
asserente id esse licitum. *Ibid punct 3 nu. 15. & 16. Item*

90. Non tenetur repetere confessionem, qui aliquod pec-  
catum ex ignorantia culpabili, vel etiam scienter commisit  
in ea prætermittit, invincibiliter ignorans se teneri illud con-  
fiteri; imò peccatum ita potest per ignorantiam minus, quàm  
mortali fieri veniale. *ibid. num. 17. & 21.*

91. Quælibet ignorantia legum humanarum potest à mor-  
tali excusare, modo adsit bona fides, & ignorantia non sit  
crassa vel supina. Ex quo sequitur, eum non peccare mortali-  
ter, qui bona fide perfingit jejunium, putans se sufficientem  
non jejunandi causam habere. *ibid. num. 22 & 23.*

92. Laborans ignorantia invincibili unius circumstan-  
tiæ, non verò alterius, non excusatur à peccato respondente  
illi circumstantiæ quam novit, seu quam culpabiliter igno-  
rat: v. g. sciens furtum esse peccatum, & ignorans furtum im-  
perare esse peccatum, non peccat imperando, peccat verò  
furtum committat. Item sciens fornicationem externam esse  
peccatum, non verò desiderium, non peccat desiderio for-  
nicationis; peccat verò exterius fornicando. *ibid. n. 24. & 25.*

93. Peccata commissa ex ignorantia culpabili, sunt ejus-  
dem speciei cum peccatis, cujus sunt peccata facta scienter,  
quare non tenetur pœnitens in confessione explicare nam  
peccaverit ex ignorantia vincibili, vel scienter, nisi igno-  
rantia sit talis, quæ excusat à mortali. *ibid. num. 29. & 30.*

94. Ignorantia vincibilis est peccatum oppositum præce-  
pto & virtuti ex qua homo tenetur aliquid scire vel facere.  
*ibid. num. 32.*

95. Jaciens sagittam intentione occidendi quodcumque  
illud sit quod sibi ob oculos extat, committit homicidium  
etiam externum eo secuto, quamvis crediderit id esse se-  
ram, non hominem, quia hæc occisio censetur sufficienter  
voluntaria. *ibid. nu. 35.*

96. Qui ex ignorantia comitante committit homici-  
dium vel aliud damnum infert, excusatur ab obligatione  
restituendi.



constituendi consurgente ex justa acceptione. *ibidem nume-*

## A D D I T I O.

Peccatum mortale est: delectari consensu saltem tacito in peccato mortali, cogitato, si plenè advertas, quod vulgo dicitur cogitatio morosa; secus est, si delecteris non ipso peccato, sed sola de eo cogitatione speculativa, vid. D. Thom.

2. 2. q. 74. art. 8 Syl. verbo *delectatio*, q. 1. Ajunt verò quidam, cum quis plenè advertit, malam esse cogitationem, & periculosam, negligitque reprimere, censendum esse tacitum consentium. De peccato Azor. l. 4. vid. Lop. p. 1. c. 1, Nov. 2. n. 13. Cajet. *vers. delectatio morosa*, & v. *Luxuria* 13.

Non est mortale facere ea, quibus alii malè & benè possunt uti, etsi plures malè utantur, ut aleas, gladios, &c. etsi id quidam negent.

Peccatum ut sit voluntarium, tria requiruntur, 1. ut à voluntate procedat, 2. ut sit procedens liberum ex deliberatione, id est, quod sit in nostra potestate, 3. ut homo sciat, vel se teneatur, se agere contra regulam, unde ignorantia probabilis gignit voluntarium & à peccato excusat.

Peccatum est mortale, vel veniale, ex genere suo, illud est contra regulam divinam, hoc præter illud præcepto oppositur, sed in Deum, qui est præcepti finis, non tendit; illud hominem divina gratia privat, hoc non privat. De peccato veniali egregiè D. Thom. q. 7. de malo. De peccatorum divisione Pet. à Sor. lect. 8. Azor. lib. 4. *Inst. mor. tom. 1.* Mortale ex genere, veniale fit, vel ob materiæ levitatem, ut in parvo furto, vel ex actus imperfectione. Veniale ex genere, fit mortale, 1. si in veniali ultimus finis constituatur, 2. si ordinatur in mortale, 3. inde sequatur mortale, 4. ratione conscientie erroneæ, ut cum quis committit veniale, vel bonum opus agit, quod putat lethale scelus.

Peccatum præterea est oris, cordis, operis; in diversa materia sunt diversa peccata, in eadem unum peccatum est habens plures augmenti gradus.

In peccato est materia & forma. Materia est actus, qui reperitur, commissionis; recessus à regula divina, sive contrafaciendo, sive præter, est forma, quæ quidem non est quid positivum, sed relicitudinis carentia. In mortifero peccato est averſio ab incommutabili bono, quod est Deus, & con-



versio ad commutabile bonum, quod est creatura. in casu veniali hæc sunt aliquo modo, sed imperfecto.

In lethali piaculo est macula, privatio sc. gratiæ, & realis obligatio sc. ad pœnas æternas, quæ duplex est, damna, & sensus. In veniali est hæc duplex pœna, (temporalis tamen non autem macula, neque enim veniale crimen gratiam perdit, sed charitatis fervorem extinguit.

## A D D I T I O.

## Pensio.

Vid. v. *Simonia.*

Redemptio pensionis non fit sine Papæ auctoritate. De pensione quædam Tol. l. 5. c. 82. Sot. l. 9. q. 7. art. 2. Gigart. *pension. Læli. Zecc. de benef. & pension.*

Cui data est pensio cum obligatione dandi eam alteri, potest ab hac eam obligatione pretio redimere. Est enim pensio jus quoddam exigendi certam partem fructuum beneficii, & est res annexa spirituali, sicuti beneficium, vid. de hac re Majo. in 4. d. 25. q. 1. Sot. l. 9. q. 7. art. 2. Nav. 25. n. 110. & lib. 3. conf. 52. de prebend.

Solus Papa dat pensionem laico. Nav. c. 25. n. 110. etiam clerico, Salon. 2. 2. q. 63. art. 2. concl. 1. contr. 6.

Pensio ipso jure perditur per matrimonium, idque etiam alias nullum secundum quosdam, Nav. de orat. & her. c. 21. n. 23. & de red. q. 1. mon. 32. n. 2. vide Zech. de pens. cap. 1. num. 9. & Flam. Paris. l. 6. de reg. sig. benefic. quæst. 2. num. 121. & quæst. 54.

Pensio non est propriè beneficium, non datur tamen irregulari sine dispensatione, Nav. c. 23. n. 111.

## Percussor clericus.

Vide v. *Censura, Clericus, Excommunicatio.*

## Perjurium.

Vide v. *Juramentum.*



## A D D I T I O.

## Pignus.

Pignore non licet uti contra voluntatem domini.

De pignore Garzias *cap. 49 Lopez, lib. 2. de contract. c. 18.*

*Nav. c. 17 n. 204. Mol. à d. § 28. Lop. de contractu à c. 18, lib. 2.*

*pignus 7. Nav. c. 17. num. 204.*

Non datur res sacra in pignus, nisi in necessitate. *Navar, c. 17, num. 205.*

Prohibita alienari, possunt pignori dari.

Expensæ factæ in pignore necessario, vel utiliter, repeti possunt. *vid. Syl. l. c. num. 13. Nav. l. c.*

Creditor potest pignus in pignus dare, sed non pro maiori quantitate, non potest autem vendere, debitore non solvente, nisi post biennium, aut eo prius monito, nisi iudex potest esse concedat. Quidam dicunt, posse vendere post monitionem non solventi factam, et si fuisset contentum ne venderetur. quod *Emman. Sa* probatur: dum modo debitorem expectet aliquo convenienti tempore, nisi promississet expresse se nullo modo venditurum, servanda enim promissio, *Nav. l. c. Syl. l. c. n. 8. Fum. ibid. n. 5. Non potest) l. c. n. 19. Nav. c. 17.*

## A D D I T I O.

## Pœna.

Vide v. *Ignorantia, Interpretatio, Lex.*

Pœna imposita ipso jure, vel facto, non incurritur sine sententia iudicis, & executione per ipsum, et si lex dicat, non requiri sententiam, aut declarationem, aut etiam solvendam in foro conscientia, intelligitur enim iudice exequente, nisi pœna esset ejusmodi, quæ secum traheret executionem, ut excommunicatio, suspensio, interdictum, & irregularitas, aut lex dicat, Sit incapax, aut inhabilis, aut, Non faciat alioquin fructus suos, est enim conditio, quæ servanda est, ut quæ ponitur à testatore,

An pœna sit ante sententiam solvenda, *Sot. lib. 1. quest. 6.*

*Mol. q. 95.*

Kk 3

De



De pœna legis, Azor. *lib. 6. c. 7.* Carb. *lib. 8. de leg.*

De pœna conventionali, Mol. *d. 317.* Garz. *cap. 12. Lopez*

*l. 9. § 1. de contract.*

Sot. *l. 1. quest. art. 6. conclusion. c. cum secundum. de heret.*

Castro *de just. heret. pun. lib. 2. cap. 6. & d. leg. pœna l. 2. d. 1.*

post Fel. *c. 1. de const.* probat, bona ante sententiam confiscanda, quando quis in hæresin lapsus est, ob quam ipse bona confiscantur: contrarium asserit Salon. *2. 2. q. 62. Mol. d. 95. Azor. lib. 5. c. 7. q. 3. Covar. 4. decr. p. 2. c. 6. § 1. commun. vid. Navar. c. 23. n. 118.*

*Aut etiam) Couar. l. c. 10. vers. 10.*

*Aut etiam solvendam) Cou. l. c. putat, solvendam, si letat, In foro conscientie, Mol. l. c. addit, nisi lex verba addenda significantia pœnam ante sententiam solvendam, ex amittit se. Nisi pœna.) Navar. c. 23. nu. 67. Sot. l. c. concl. 2. Cajet. 2. 2. 62. art. 3. Couar. l. c. n. 16. vers. nemo. Mol. d. 96. vers. ut non sit incapax.) Sot. l. 4. q. 5. art. 1. col. 7. Testatore) Castro *de leg. lib. 8. d. 9.**

Pœnæ promissio in matrimoniis & sponsalibus non obligat, vid. *de spons. matr. c. 29.*

Pœnæ non extendendæ ultra casus jure expressos, eadem ratio videatur.

Pœnam non incurrit, qui justè non potuit facere impeditus.

A pœna legis humanæ excusat consuetudo rationabilis, itemque justa credulitas, Syl. *verb. consuetudo. n. 12.*

Vid. Nav. *conf. 23. n. 62.* Fum. *vers. consuetudo. num. 3. sicut enim Lex consuetudine abrogatur, sic etiam pœna legis consuetudine tolli potest, non sublata lege. vid. Azor. l. c. q. 10. Innocent. Abb. Ioan. Andr. Syl. consuetudo. n. 7. & 11.*

Pœna juris contra facientem, intelligitur, si opus peccatur, vid. Pan. *c. 1. de eo, qui mittit. in poss. n. 13.*

Pœna successiva imposita sine termino, finiri solet decennio; quod si usque ad beneplacitum imponentis, finitur eadem morte.

#### *Pœnitentia, Pœnitens.*

Vide v. *Confessio, Contritio, Sacramentum, Satisfactio, Peccatum.*



1. Sacramentum pœnitentiæ, est sacramentum consistens in actibus pœnitentis & absolventis, institutum à Deo per modum iudicii emendativi ad remissionem peccatorum. Est necessarium, tum necessitate mediæ in re, vel in voto illis qui peccarunt mortaliter post Baptismum; tum necessitate præcepti, & sine eo salus obtineri nequit à lapsis post Baptismum. Dicuntur verò remitti peccata per sacramentum pœnitentiæ in voto, quando remittuntur per contritionem, teneatque pœnitens adhuc confiteri peccata suo tempore, à quibus per contritionem fuit justificatus. *tom 1. de Pœnitentiæ Sacramento, disput. 5. quæst. 2. punct. 2. num 1. & punct. 3. nu. 1. 2. 3. & 6.*

2. Institutum fuit pœnitentiæ sacramentum Joan. 20. quando post resurrectionem suam insufflavit in discipulos, dicens: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata,* *Eccl. 1b. punct. 4. n. 2.*

3. Materia remota sacramenti pœnitentiæ sunt peccata etiam venialia, quæ sunt quoque materia remota saltem sufficiens hujus sacramenti. Dixi, *sufficiens*, quia pœnitens non tenetur in confessione manifestare peccata venialia; & si aliqua confiteatur, potest alia reticere si voluerit, cum ea non sint materia necessaria, sed sufficiens tantum. Nec refert quod Ecclesia possit venialium confessionem præcipere ad maiorem utilitatem fidelium *Ibid. q. 3. punct. 1. nu 3. s. & seq.*

4. Peccatum dubium non est materia sufficiens sacramenti pœnitentiæ, quando pœnitens dubius est de facto; sicut dicendum de peccatis semel dimissis, quæ possunt esse materia non confessionis. Hinc est quod pœnitens possit aliqua peccata dimissa confiteri, & aliqua reticere, quia huiusmodi peccata non sunt materia necessaria, sed sufficiens. *Ibid. n. 9. & seq.*

5. Solus Sacerdos est minister hujus sacramenti, ut constat ex Trident. *sess. 14. c. 6.* Hinc fit, ut confessio à laico, subdiacono, aut Diacono, etiam in mortis articulo, non subsistat. *Ibid. q. 7. punct. 3. n. 1. & seq.*

6. Potestas qua Sacerdos potest à peccatis absolvere, consistit in clave ordinis & jurisdictionis, seu in caractere & jurisdictione delegata vel ordinaria. *Ibid. n. 5.*

7. Non omnis Sacerdos, per se loquendo, est sufficiens minister istius sacramenti, (præcilo mortis articulo, in quo quilibet Sacerdos, etiam excommunicatus, potest valide ab-



solvere,) cum non omnis Sacerdos habeat jurisdictionem sive ordinariam, sive delegatam. *ibid num. 7 8 & 9.*

8. Præsente Sacerdote excommunicato vitando, aut suspenso, debet simplex Sacerdos toleratus absolvere, etiamsi antea non haberet jurisdictionem absolvendis; & quia ab eo in hujusmodi casu absolutus est, non tenetur elapso eo periculo iterum eadem peccata licet reservata, confiteri. *ibid. num. 11. & seq.*

9. Habentes unum solum domicilium in aliquo loco, possunt sua peccata confiteri Parochi loci, in quo domicilium habent: nam Parochus illius loci est proprius eorum Sacerdos. Habentes duo domicilia, in quibus æquè habitant per diversa anni parte, possunt utrique Parochi in quorum parochia habent domicilia, confiteri. *ibid. punct. 2. num. 1. & 2.*

10. Proprius Sacerdos vagorum, est Parochus loci in quo vagi reperiuntur: nam actualis habitatio loci quam pro tempore habent, succedit in locum domicilii. Idem dicitur de iter agentibus, & peregrinis, qui etiam Parochi loci ad quem perveniunt, aut alteri approbato confiteri possunt, modo iter non faciant in fraudem legis, id est, ea solum de causa ut possint aliis confiteri. Sacerdos tamen approbatus in aliqua diœcesi, poterit omnes illius diœcesis ad se concurrentes audire, etiamsi ad ipsum accedant animo vitandi proprium Parochum. Sixtus IV. concessit religiosis facultatem audiendi confessiones extraneorum, modo religiosi sint approbati ab Episcopo loci. *ibid num. 4 & seq.*

11. Parochus non potest tempore Paschatis Eucharistie sacramentum administrare iis, qui debita opera confessi sunt Sacerdotibus, aut religiosis extra aut intra diœcesim exstantibus non approbatis: secus dicendum si approbati sint, & privilegio gaudeant. *ibid nu. 9.*

12. Parochus, seu alter Confessarius qui jurisdictionem in aliquem habet, potest ipsum extra propriam diœcesim audire & absolvere, cum jurisdictione quæ absque strepitu judicii exercetur, (ut in sacramentali absolutione contingit,) possit extra proprium territorium & diœcesim exerceri. *ibid. num. 10.*

13. Qui obtinuit à Sede Apostolica, vel ab Episcopo facultatem eligendi Confessarium, potest sibi eundem eligere mortuo concedente; quia hæc gratia facta non expirat morte



morte concedentis. Hæc tamen doctrina non est applicanda jurisdictioni Vicarii aut Visitatoris : nam hæc expirat morte Episcopo. *Ibid. punct. 3. num. 2. & 3.*

14. Facultas eligendi Confessarium non finitur per primam electionem, nisi aliter ex circumstantiis colligitur de mente concedentis. *Ibid. n. 4.*

15. Qui facultatem habet eligendi Confessarium idoneum, debet Confessarium ab Episcopo approbatum eligere. *Ibid. n. 5.*

16. Triplex est jurisdictio, ordinaria scilicet, delegata, & ex concessione juris. Jurisdictio ordinaria est potestas quam quis habet in alios ex officio, qualis est curam animarum habens. Delegatam dicitur habere, qui facultatem obtinuit ab habente jurisdictionem ordinariam, quales sunt deputati ad confessiones audiendas. Jurisdictio ordinaria cessat privatione dignitatis seu officii : jurisdictio delegata cessat tum lapsu temporis, tum per revocationem concedentis. *Ibid. punct. 4. §. 1. num. 6. & 7.*

17. Ille dicitur habere jurisdictionem ex concessione juris, qui absolvit eum, cui à jure vel ex privilegio concessa est facultas eligendi Confessarium. *Ibid. num. 6.*

18. Ut Sacerdos validè administret pœnitentiæ sacramentum laicis aut clericis, debet esse per examen aut alia ratione approbatus ab Episcopo jam confirmato, & habente subditos, aut à Vicario generali, aut à Capitulo Sede vacante : Episcopus tamen censetur sufficienter aliquem approbare eo ipso quod sciens & volens mandat alicui curam animarum ad tempus. Ad confessiones regularium audiendas sufficit licentia Superioris ; communis enim religiosorum usus hoc indicat. *Ibid. num. 9. & 10.*

19. Parochus non potest neque jure communi, neque particulari aliquem non alias approbatum admittere ad audiendas confessiones suorum subditorum. *Ibid. num. 12.*

20. Sacerdos qui probabiliter credit Episcopum vel Papam absolutionem ratam habiturum de futuro, non sufficienter approbatus censetur : secus dicendum, si vidente Episcopo, & non contradicente absolvit. *Ibid. n. 13. & 14.*

21. Sacerdos approbati debet ab Episcopo ipsiusmet Confessarii, neque potest Episcopus Sacerdotem non subditum approbare, cum approbatio sit actus jurisdictionis. *Ibid. num. 15. & 16.*

22. Sacerdos ab Episcopo approbatus novam licentiam à



Parocho obtinere non debet, in cuius parœcia confessiones audire intendit. Episcopus enim habet jurisdictionem in tota sua diœcesi independenter à Parochis. *Ibid. num. 17.*

23. Quod si duo præfint eidem parœciæ, potest uterque independenter ab altero admittere aliquem ab Episcopo approbatum ad confessiones. *Ibid. num. 19.*

24. Habens privilegium eligendi Confessarium, non potest eligere Sacerdotem approbatum ab ordinario alterius diœcesis. *Ibid. num. 21.*

25. Parochus tempore Jubilæi potest eligi ad confessiones subditorum alterius parœciæ audiendas in eadem diœcesi non censetur tamen sufficienter approbatus ad confessionem tempore Jubilæi, qui alias habuit beneficium parochiale. *Ibid. num. 23. & 24.*

26. Religiosi exempti possunt de consensu sui Superioris absolvi & dispensari ab Episcopis, si se eis subdiciant. *Ib. n. 26.*

27. Religiosi qui possunt quoscumque ad se accedentes audire, non possunt absolvere religiosum alterius ordinis. *Ibid. num. 27.*

28. Novitius potest absolvi à censuris reservatis in religione, à quibus potest absolvi professus. *Ib. n. 28.*

29. Ille non censetur sufficienter approbatus, qui fuit admissus ab Episcopo sciente illum non esse idoneum: nam secundum Concilium Tridentinum debet idoneus iudicari: vallet tamen approbatio, si Episcopus aliquem iudicet idoneum qui reipsa idoneus non est. *Ib. n. 29. & 30.*

30. Ad validitatem approbationis non requiritur ut detur in scriptis, consultum tamen est dari in scriptis, & gratis, quamvis valida sit, si gratis non concedatur. *Ib. n. 32. & 33.*

31. Ut Confessarius validè pœnitentiæ sacramentum administret, requiritur in eo probitas, scientia, & cognitio eorum quæ necessaria sunt ad materiam & formam sacramentis prudentia & sollicitudo in præbendis pœnitenti opportunis & debitis remediis, & eo instraendo. *Ib. §. 2. n. 2. 4. 7. & 16.*

32. Administans hoc sacramentum in peccato mortali mortaliter peccat. *Ib. n. 3.*

33. Confessarius civitatis debet esse instructior eo, qui extra urbem confessiones rusticorum audit. Item major scientia circa Canones requiritur in excipiente confessiones clericorum, quam in eo qui laicos audit. *Ibid. num. 8. & 9.*

34. Si Confessario occurrat casus aliquis difficilis, quem



nequit statim d' solvere; nec potest tunc temporis sufficientem inquisitionem, aut consultationem adhibere, poterit absolutionem impendere, si pœnitens promittat se facturum, quod postea iudicatum & resolutum fuerit. *Ib n. 10.*

35. Confessarius inter audiendas confessiones attendere debet ad peccata, ut de illis iudicium ferat: audito tamen quolibet peccato non tenetur in particulari explicitè iudicare, an sit mortale aut veniale; & pœnitens qui bona fide confessus est Confessario nescienti discernere inter mortale & veniale, validè absolvi potest. Idem dicendum, quando Confessarius injustè absolvit, vel errat in imponenda salutari pœnitentia. Neque pœnitens tenetur iterum confiteri peccatum alias confessum, quod nunc ipse vel Confessarius cognoscit esse mortale, sed uterque ipsius gravitatem ante ignorabat. *Ibid, n. 11. & seq.*

36. Confessarius potest licitè absolvere pœnitentem nondum facta restitutione, modo pœnitens firmum habeat propositum faciendi quàm primum, quod facere tenetur *Ib n. 19*

37. Parochus potest & debet à sacramentis eos repellere, qui decimas non solvunt, nec parati sunt solvere: secus dicendum de Ecclesiastica sepultura: hoc enim jus competit Superiori & iudici in foro externo. *Ib n. 20.*

38. Confessarius tenetur pœnitentem de obligatione restitutionis admonere, quoties iudicaverit expedire: quod si pœnitentem non admonuit de restitutione facienda, non idcirco tenetur resarcire damnum quod tertius patitur ob prætermissam à Confessario admonitionem, nisi fortè ex culpa lata, aut ignorantia crassa, aut scienter consuluerit & dixerit pœnitentem non teneri: nam tunc culpabiliter exercuit actionem damnificativam: si tamen opportunè admoneat pœnitentem de restitutione facienda, censetur retrahere influxum, quem exhibuerat in damnum tertii. *Ibid. num 21. & 22.*

39. Parochus aut alius curam animarum habens, tenetur pœnitentis confessionem toties audire, quoties pœnitens vult rationabiliter confiteri, & expedit saluti pœnitentis; nisi fortè Parochus tunc temporis feris detineatur negotiis. Episcopus similiter tenetur confessiones subditorum audire, saltem in gravi necessitate, si poterit. *Ib. n. 23. & 25.*

40. Confessarius saltem ex officio tenetur absolvere pœnitentem habentem opinionem probabilem, cujus contrariam Confessarius sequitur. *Ibid. num 26. & 27.*



41. Materia proxima sacramenti pœnitentiæ sunt actus pœnitentis, videlicet, contritio, confessio, & satisfactio, quæ hæc sunt non solum partes integrales sacramenti pœnitentiæ, verum etiam essentielles, saltem confessio & contritio, seu dolor aliquis formalis, quo qui caret, non recipit sacramentum pœnitentiæ, quantumcumque habeat actum dilectionis Dei. Per *dolorem* intellige dolorem naturalem, sine quo confessio facta, etiam verbalium, est invalida. Quamvis ad fructum sacramenti requiratur attritio supernaturalis, quæ perfectior est actu naturali, de qua attritione supernaturali intelligenda sunt Concilia, dum asserunt ad sacramentum requiri attritionem. Quod si quis bona fide recipiat absolutionem, cum sola attritione naturali, validum quidem, sed informe erit pœnitentiæ sacramentum. *Ibid. quest. 3. punct. 2. n. 1. & seq.*

42. Quæres, an dolor efficax esse debeat. Resp. debere esse efficacem, & talem per quem excludatur propositum peccandi, sufficietque huiusmodi dolor elicitus ante confessionem, vel in ipsamet confessione, vel post, antequam pœnitens absolvatur. *Ibid. num. 13.*

43. Liberum est Confessario injungere satisfactionem ante vel post absolutionem. *Ibid. n. 21.*

#### De forma sacramenti Pœnitentiæ.

44. Forma sacramenti pœnitentiæ consistit in his verbis: *Ego te absolvo à peccatis tuis* inò ad essentiam & valorem sacramenti sufficiunt hæc duo verba explicitè prolata, *absolvo te*. Quare non est necessarium adjungere invocationem sanctissimæ Trinitatis. Neque opus est addere in forma hæc verba: *Auctoritate vel potestate mihi à Christo concessa: neque à peccatis de quibus confessus es* *Ibid. qu. 4. punct. 1. n. 1. & seq.*

45. Absolutio collata hoc modo, *Absolvatur servus Christi*, valida est, quia his verbis sufficienter exprimitur actio ministris; estque verus sensus formæ, & Sacerdos verè absolvit à peccatis, modo non adsit obex ex parte pœnitentis. *Ibid. n. 7. & 8.*

46. Mutata substantialiter forma sacramenti pœnitentiæ, irritum est sacramentum; validum est verò, quoties mutatio est solum accidentis, ut diximus de aliis sacramentis. Unde valet, si dicatur *remitto*, loco verbi *absolvo*, aut si loco particulari *ego*, dicatur *nos*, aut absolvendo Regem, *absolvo majestatem tuam*, aut, *vos absolvo*, si plures in periculo naufragii existen-



stentes, unica forma absolvat Confessarius. Validum est similiter pœnitentiæ sacramentum, quando constructio ex activa in passivam mutatur, modo idem verborum sensus permaneat aut si forma modo imperativo proferatur, ut si dicatur, *absolvamur à me*: secus dicendum, si sacramentum administraretur sub forma modo deprecativo prolata, ut si dicatur, *absolvat te Deus* quia non remanet idem verborum sensus, & pœnitentiæ sacramentum institutum est per modum iudicii, in quo non sufficit ferre sententiam modo optativo. *Ibid. punct. 2. n. 2. & seq.*

47. Præterea non est validum pœnitentiæ sacramentum administratum hac forma, *jubeo te esse absolutum*, &c. sicut etiam nec validum esset, si omitteretur particula *te*. *Ibid. n. 9.*

48. Observa tamen committi peccatum, quoties mutatur forma, etiam si eadem significatio remaneat, quilibet enim tenetur se communi usui Ecclesiæ accommodare. *Ibid. num. 11.*

49. Validum erit sacramentum pœnitentiæ, etiam si aliqua conditio de præsentis, vel de præterito apponatur in forma: dummodo non sit de futuro, ut diximus in aliis sacramentis. *Ibid. punct. 3. n. 1. & 2.*

50. In distinctis confessionibus, valide & licite iterari potest absolutio super iisdem peccatis semel ritè confessis, ut fit in confessionibus generalibus, receptis ex usu Ecclesiæ. *Ibid. punct. 4. n. 1. & seq.*

51. Absolutio collata pœnitenti absentis, non est valida, quamvis pœnitens in articulo mortis existat, estque invalida confessio & absolutio facta per litteras inter absentes; esset tamen valida, si pœnitens per litteras mittat peccata sua Confessario, deinde in præsentia ejusdem Confessarii, dicat se de omnibus illis accusare, & ab eodem Confessario absolutionem obtineat in præsentia; quæ absolutio dari non potest in scriptis, vel aliis signis, sed necessario voce proferenda est; & in hoc differt à confessione, quæ fieri potest auribus & signis. *Ibid. punct. 5. n. 1. & seq.*

### A D D I T I O.

Quæres, quæ sit materia sacramenti pœnitentiæ. Resp. ut in baptismo duplex est materia, remota, nempe aqua, propinqua, aquæ ablutio, sic in sacramento pœnitentiæ duplicem esse materiam remotam, pescata nempe, & propinqua actus

pœ.



pœnitentis. Quod autem peccata sint materia, probatur 1. quia pœnitentia non est aliud, quàm dolor de peccatis, 2. quia materia propinqua pœnitentiæ sunt contritio & confessio, et illa sunt de peccatis, ergo. 3. quia ubi nullum est peccatum, nulla potest dici absolutio sacramentalis ergo

Quæres: Quis sit finis, vel effectus huius sacramenti. Resp. esse remissionem culpæ, & collationem gratiæ, qua aliquis restituitur divinæ amicitiae. Nomine culpæ intelliguntur omnia peccata mortalia, nam unum sine alio non remittitur. Non autem omnia venialia, neque enim homo tenetur omnia venialia confiteri, & fieri potest, ut nolit dolere, vel confiteri de aliquo peccato veniali. 2. cum culpa remittitur, pœna æterna, & commutatur in pœnam temporalem, non autem remittitur semper pœna temporalis; nam alioqui non opus esset satisfactio, licet fieri possit, ut omnino etiam pœna temporalis remittatur per absolutionem, si vehemens contritio præcesserit, vel pauca fuerint peccata pœnitentis. 3. Si pœnitens fuerit in gratia, quando confitetur, tunc non remittitur nisi culpa venialis, & semper augebitur gratia. Busæus.

Quæres: An Sacerdos semper teneatur pœnitentiam iungere. Resp. affirmativè: Excipiuntur tamen tres casus, 1. quando pœnitens ob gravitatem morbi nullam potest amplius facere pœnitentiam, ut habetur *cap. ab infirmis. 26. q. 7.* si autem potest aliquam aliam facere, tenetur ei imponere levissimam, ut tunctionem pectoris, signum crucis, &c. 2. casus est, quando scrupulosus eodem tempore sæpius redit ad confessionem, & nova narrat peccata, ut absolvatur. 3. quando creditur integrè satisfacisse pro peccato, ut habet Cajet. in *sum. Vict. Ledesm. Fumus*, afferunt quartum casum, si probabile est, pœnitentem nullam admissurum pœnitentiam.

*Pollutio, seu mollities.*

Vide v. *Matrimonium.*

1. Pollutio voluntaria est peccatum mortale, & contra ordinem naturæ, & naturam generationis. Dixi, *voluntaria*, ut innuerem, pollutionem in semetipso factam non esse peccatum mortale. Tunc autem pollutio censetur voluntaria & peccatum mortale, quando provenit ex causa proxima notabiliter influente in pollutionem, si non sit necessaria, utilis, vel



vel honesta. tom. 1. de iis, quæ pertinent ad usum matrimonii, q.

4. punct. 10. n. 3. & seq. Unde

2. Illa pollutio non est peccatum mortale quæ sequitur vi naturæ, aut ex causa aliqua quæ habet alium effectum, qualis est ebrietas, comestio ciborum calidorum, aspectus vel locutio cum femina, agitatio itineris vel cursus equi, tactus licitus seu amplexus juxta patriæ consuetudinem, modò non sit intentio pollutionis, vel periculum consensus in illam. Quando pollutio provenit ex causa venialiter luxuriosa, non est peccatum mortale. *Ib. n. 6. & seq.*

3. Non est licitum procurare pollutionem propter sanitatem, sicut nec procurare magnam commotionem spirituum ordinatorum ad pollutionem. Non est similiter licitum desiderare pollutionem vel de illa jam secuta gaudere ex affectu libidinis, vel ob delectationem ipsius; cum hoc sit directè contentire in pollutionem. *Ibid. num. 11. 13. & 14.*

4. Pollutiones sunt ejusdem speciei, si secundum se sumantur, per accidens tamen possunt esse diversæ speciei ratione circumstantiæ adjunctæ habentis diversam speciem malitiam. *Ibid. num. 15.*

5. Maritus qui incepit copulam cum uxore, non potest sine causa urgentissima ab ea desistere antequam ipse aut uxor seminaverit; faceret enim injuriam uxori quæ habet jus petendi copulam: secus dicendum de fornicante, qui potest desistere ab inchoata copula, etiamsi femina tenuat. *Ibid. num. 16. & 17.*

### A D D I T I O.

Quæres: An pollutio sit culpabilis, ex eo, quod non resistit scienter. Resp. 1. Si cogitatio & delectatio ita placuerit, ut inde evenire, tunc est peccatum, quia directè fuit intenta. Resp. 2. Si cogitatio & producta delectatio non eo fine placuerit, & orta fuerit ex re bona & utili, ut auditis confessionibus, non esse peccatum. Difficultas autem est in duobus casibus. 1. An qui novit pollutionem inde secuturam, teneatur abjicere cogitationem & delectationem. 2. An qui non abjecta cogitatione videt pollutionem secuturam, peccet permitiendo illam.

Resp. 1. Eum non teneri abjicere cogitationem, vel delectationem quæ sequitur ex actione vel lectione aliqua utili vel bona.

Resp.



Resp. 2. Quia probabile est, periculum consentiendi pollutioni culpæ imputari, ob pollutionem quæ creditur securam ut dicit Cajet.

Resp. 3. Quamvis culpabilis esset cogitatio, aut delectatio turpis à voluntate non repulsa, non tamen novæ culpæ imputari pollutionem inde securam, quando tamen prævisa est, & non formaliter intenta, vel ex natura rei, ex aliquo opere consecuta. Hæc Busæus.

Quæres: An pollutio inchoata in somno, perfecta autem in vigilia, sit peccatum. Resp. secundum communem sententiam non esse, quia illi deest consensus. Resp. 2. Pollutionem in vigilia securam statim post expergefactionem à somno, sæpe tantum esse veniale peccatum, tum quia abest plena deliberatio, & iudicium rationis, tum quia aliquando difficultet impediti potest emissio seminis. Hæc Busæus.

Quæres: Si quis studiosus deprehendat ex lectione aliquam necessariam, vel utili, alicujus Poetæ, sibi accidere pollutionem nocturnam, vel diurnam, an debeat idcirco abstinere: & similiter si deprehendat sibi accidere pollutionem si supinus dormiat, an debeat abstinere. Resp. Si lectio illa non sit curiosa, sed necessaria, & valde utilis, illum non peccare, modo in pollutionem non consentiat, similiter, si quis nocte non possit dormire nisi supinus, non tenetur propter pollutionem illum modum dormiendi, damno sanitatis relinquere, modo sibi in ea non complaciat. Hæc Busæus.

## A D D I T I O.

### Præceptum.

Præceptum de re levissima non obligat ad mortale, etiam si, qui præcipit, id velit, nisi quis se voto obligasset ad omnia iussa, tunc enim fortè possit etiam in re levi, ut si diceret, In virtute obedientiæ, aut quid simile. Vide Sylvest. *ver/ præceptum. n. 2. 3* & Navar. *c. 11. num. 4. Excm. Sa in Aphorism.*

Præcipi non potest, ut quis revelet peccatum suum omnino occultum. Vide Fum. *obedientia, num. 4. Sylv. homicidium. 4. Sa in Aphor.*

Duobus præceptis concurrentibus majus obligat. Adrian. *quod, l. art. 2. Val. tom. 3. dist. 3. q. 18 p. 4. col. 5. communi. Nav. Sa in Aphor.*

ADDI-



A D D I T I O.

*Prædicare.*

Prædicans in statu mortalis peccati, non peccat mortaliter, si absit scandalum. *Sot. dist. 1. q. 5. art. 6. col. 6. Cajet. vers. prædicator, peccata.* Contrarium placet Navar. *cap. 25. n. 141.* peccat autem ratione scandali, quando peccatum ejus est publicum. *D. Thom. & alii.*

Nullus Episcopo contradicente prædicare præsumat, ex *Council. Trident.* Exceptit Pius V. Mendicantes in sua Ecclesia prædicantes, nisi Episcopus vellet prædicare. *Trident. sess. 5. cap. 2. sess. 24. cap. 4. de reform.*

A D D I T I O.

*Prælatus.*

Prælatus dicitur, qui Ecclesie collegiatæ sæculari vel regulari præficitur. Itaque Priores & Guardiani sunt Prælati, & in dignitate. *v. gl. c. 28 de elect. l. 6. v. Syl. v. prælatus, n. 1. Furr. 16.*

Prælatus proprie non dicitur esse de Capitulo, vel de conventu,

Gesta per Prælatum toleratum, valida sunt, etiamsi jure titulum amisisset.

Prælati bona sunt tacite hypothecata pro mala Ecclesie administratione *Syl. v. dos. 15. quest. 12. nu. 14. Gl. cap. ex litteris, de pign.*

*Præscriptio.*

Vide *v. Restitutio.*

1. Præscriptio est acquisitio seu adeptio domini utilis, vel directi rei alienæ per continuationem possessionis bonæ fidei spatio temporis à lege definiti. Ad legitimam præscriptionem quinque conditiones requiruntur, videlicet possessio continuata: capacitas activa respectu possidentis, & passiva respectu rei quæ possidetur: bona fides seu credulitas, qua quis prudens judicat rem suam esse, vel saltem ignorat esse alienam, modo ignorantia non sit crassa vel affectata: titulus probabi-

Ll

liter



liter præsumptus, quo accipiens credat tradentem esse legitimum rei traditæ dominum: ultima conditio est tempus ad præscriptionem bonorum mobilium quæ propriè vocatur usucapio, requiritur spatium trium annorum cum titulo & bona fide inter præsentem; inter absentes vero requiritur spatium quatuor annorum: ad præscriptionem verò rerum immobilium requiritur contra privatos spatium decem annorum inter præsentem, & inter absentes spatium viginti annorum; at contra rem immobilem Ecclesiæ & loca pia, (excipe Romanam Ecclesiam,) requiritur spatium quadraginta annorum. *tom. 2. de restitutione in genere, dist. 1. quæst. ult. punct. 2 §. 2 num. 1. 2. 5. 14. 15. 22 & 28.*

2. Ex dictis sequitur, habentem rem alienam apud se depositam, vel commodatam, vel conductam, non posse eam præscribere, quia eam non possidet suo nomine: & religiosum non posse aliquid præscribere, cum in eo deficiat capacitas activa; similiter neque hominem liberum præscribi posse, deficit enim capacitas passiva: sequitur præterea, debitorem qui jam triginta annis elapsis non solvit debitum, non posse illud præscribere, cum non dicatur habere bonam fidem, & cum qui gratis aliquid solvit singulis annis non acquirere obligationem idem semper solvendi, quia non adest titulus, quo quem acquirat obligationem solvendi. *Ibid. n. 4. 7. 9. 16. & 20.*

3. Adverte autem, præscriptionem currere & non interrumpi, quando possessio unius rei transit de uno ad alterum, ita ut si computato tempore utriusque possidentis elapsum sit tantum temporis, quantum requiritur ad præscriptionem, res censetur præscripta, modò uterque possessor bonam fidem possiderit. *Ibid. num. 21.*

4. Legitima præscriptio excusat à restitutione, non solum in foro externo, sed etiam in foro conscientie; nam possidens rem alienam bona fide, facit illam suam per continuationem temporis à lege constituti; nullus autem tenetur ad restitutionem rei, cuius habet dominium: verum tamen est, minoribus, locis piis, ac Ecclesiis concedi restitutionem in integrum auctoritate iudicis. *Ibid. num. 33. & 34.*

### Præcarium.

1. Præcarium est contractus, quo quis concedit aliquid alteri, cum potestate illud repetendi quoties voluerit. Dicitur præ-



precarium eò quod fiat precibus illius, in cuius commodum conceditur. In precario requiritur traditio rei, & ut ille qui tradit precarium, possit illud reperere, quoties voluerit, nisi aliter postulet charitas; ut accidit, quando non potest reperere sine gravissimo detrimento illius qui precarium accepit. Et præterea in precario non potest pactum iniiri, ut ille qui tradit precarium, non possit reperere, nisi post certum tempus; hoc enim repugnat contractui precarii *tom. 2. de Contractibus, dist. 1. q. 15. punct. unic. num. 1. & seq.*

2. Precarium finitur vel voluntate illius qui illud concessit, vel per venditionem precarii factam à domino; vel per mortem illius qui accepit precarium. Quod si precarium concessum sit sub hac forma, *usque ad meum beneplacitum, donec voluero*, precarium expirabit morte concedentis, ut videtur *v. Privilegium. ibid. num. 5.*

*Princeps.*

Vide *v. Privilegium.*

*Privilegium.*

Vide *v. Lex.*

1. Privilegium est lex, qua conceditur aliquid speciale. Multiplex est privilegium, aliud scriptum, aliud non scriptum, aliud reale, quod directè conceditur alicui rei, ut loco, dignitati, aliud personale, quod conceditur immediatè personæ ratione sui; aliud gratiosum, aliud remuneratorium, aliud conventionale, & aliud purum, aliud perpetuum, aliud temporale seu quod impleta tali vel tali conditione cessat. *tom. 2. de Legibus in genere, & in particulari, dist. 1. q. 3. punct. 1. num. 1. & seq.*

2. Privilegium ab eo conceditur à quo lex ferri potest, & consequenter Imperator & Rex possunt existentibus in sua ditione, & Papa directè in spiritualibus omnibus privilegia concedere. Episcopus quoque potest in propriis statutis privilegia suis subditis conferre. *ibid. punct. 2. num. 1. & seq.*

3. Privilegia contra jus illi tantummodò concedi possunt, qui aliquo modo sunt subditi, quia cum per privilegium homo eximatur a lege, illis solum concedi possunt, qui sunt aliquo modo subditi. *ib. n. 5.*

L. 2

4. Pri-



4. Privilegium vel dispensatio validè potest obtineri ab eo qui mandato vel scientia illius, in cuius favorem obtinetur seu privilegiarii, & consequenter valet dispensatio obtenta Titio ad contrahendum cum affine vel consanguinea, quavis ipsa non sit conscia dispensationis: imò validè potest obtineri dispensatio pro invito & nolente, & Superior habens talem facultatem, pro istis dispensare potest. *Ibid. punct. 3. n. 1. & seqq.*

5. Privilegium non habet vim donec acceptetur ab eo cui conceditur, aut ab ipsius nuntio vel procuratore qui vices ipsius gerat; unde valent gesta à privilegiario facta postquam per nuntium privilegium acceptavit, etiamsi ipse hoc ignoret. Item valida est confessio facta Sacerdoti ignaro confessionis sibi ab Episcopo factæ, si hæc jam acceptata fuerit ab ipsius procuratore; secus dicendum, si licentiam sibi concessam cognovit per alium quàm per nuntium; neque potest privilegiarius uti privilegio, antequàm ab ipso vel à procuratore acceptetur: sicut & invalida est quoque commutatio voti antequàm acceptetur; & concedens privilegium, potest illud revocare antequàm acceptetur à privilegiario. *Ibid. n. 1. & seq.*

6. Obtinens privilegium per nuntium ne possit ab aliquo excommunicari, gaudet privilegio statim ac illud acceptatum fuit à nuntio, privilegiumque prodest privilegiario antequàm innotescat illi in cuius damnum conceditur. *Ibid. n. 14. & 16.*

7. Materia privilegii debet esse honesta, rationalis, favorabilis; & debet consistere in aliqua facultate ad agendum aliquid vel non agendum, ad recipiendum, vel non recipiendum. *Ibid. punct. 4. § 1. n. 1.*

8. Effectus privilegii respectu privilegiarii consistit in facultate aliquid faciendi vel omitendi, quamquam tenetur aliquando privilegiarius uti suo privilegio, quando scilicet ex omissione usus privilegii sequitur aliorum præjudicium. *Ibid. nu. 2. & 3.*

9. Ut autem validi sint actus facti vireute privilegii, requiritur ut servetur forma substantialis contenta in privilegio, quia actus sine forma substantiali celebratus, non est validus. *Ibid. §. 2. num. 1.*

10. Quando alicui datur privilegium, seu facultas aliquid faciendi de alterius consilio, tenetur per se loquendo, petere consilium; & opus aliter factum, irritum est; sed non tenetur



semper sequi: quia aliud est petere consilium, aliud se-  
qui consilium. *Ibid. num. 3. & 4.*

11. Privilegio absolute & absque determinatione loci con-  
cesso, privilegiarius uti potest quolibet in loco concedentis;  
de mente concedentis aliter constet. *Ibid. punct. 5. n. 1.*

12. Quando Papa concedit facultatem vescendi lacticiis  
Quadragesima ob inopiam piscium in tali vel tali regione,  
non licet uti dicto privilegio ultra talem regionem; alias pri-  
vilegium à Papa, considerato ut est pastor universalis, conce-  
ssum, ubique terrarum valet. *Ibid. num. 3.*

13. Privilegiarius potest præciso scandalo, aut alia circum-  
stantia, ubique, etiam extra territorium concedentis, uti di-  
spensatione seu privilegio personali sibi concessio absque de-  
terminatione loci, modo in alieno territorio non extet spe-  
cialis aliqua prohibitio; & sic qui ab Episcopo dispensatio-  
nem obtinuit in voto castitatis, ut possit debitum à sua uxore  
petere, potest debitum ab ea ubique petere, & absolutus ab  
excommunicatione remanet ubique absolutus, sicut & ha-  
bens facultatem eligendi Confessorem, potest illum ubique  
eligere, &c. *Ibid. punct. 6. num. 4. & seq.*

14. Privilegium pure favorabile, in quo nulli præjudicium  
offertur, latè explicandum est, quantum rationabiliter judi-  
catum fuerit, servata verborum proprietate: privilegium verò  
odiosum nisi aliter dicat recta ratio, prudentia, gravis aliqua  
causa, vel necessitas, strictè explicandum est, servata verbo-  
rum proprietate, juxta illam regulam juris: *Odia restringi, fa-  
vores convenerit ampliari.* quamquam privilegia quæ conti-  
nentur in jure communi, non videntur strictè explicanda, si-  
cut neque dispensatio quæ per legem vel Canonem conce-  
ditur, cum gradus remotior trahat ad se minus remotum, di-  
spensatioque concessa in tertio gradu, extenditur ad secun-  
dum cum tertio, privilegium autem contra jus commune,  
strictè explicandum est; privilegiumque irregulari concessum  
ad beneficia, censetur solum concessum ad beneficia simpli-  
cia. *Ibid. punct. 7. §. 1. num. 4. & seq.*

15. Privilegium quod præbet occasionem peccandi, vel  
quod ad lites concessum est, strictè accipi debet; sicut & pri-  
vilegium quod vergit in præjudicium tertii, secus dicendum  
de facultatibus Bullæ Cruciatæ, aut Jubilæi, aut absolvendi à  
reservatis: hæ enim latè explicandæ sunt, sicut & facultas Epi-  
scopis concessa in Tridentino. *Ibid. n. 11. & seq.*



16. Potestas concedendi privilegium non est explicanda modo quo explicatur ipsum privilegium. *Ibid. num. 14.*

17. Privilegium concessum *ad instar* alterius privilegii explicandum est, ut per ipsum concessus censetur omnia favor & gratia cum eadem extensione & limitatione qua continetur in alio *ad instar* cuius privilegium est concessum, hinc enim significationem admittit illa particula, *ad instar*. *Ibid. num. 15.*

18. Privilegium censetur solummodo concessum rebus prioris vel rebus quæ sunt in privilegio expressæ, vel quæ comprehenduntur, propter significationem vocis, aut propter materiam, aut actionis connexionem, vel propter juris dispositionem. *Ibid. § 2. num. 1.*

19. Privilegium concessum religiosis extenditur etiam ad moniales; concessum filiis extenditur ad filias, fratribus ad sorores; item privilegium concessum bonis mariti extenditur etiam ad bona uxoris, communia cum bonis mariti.

Privilegium quoque concessum Sacerdoti, ut possit celebrare tempore interdicti, extenditur ad alterum qui interdicti Sacerdoti. Uxor præterea gaudet privilegiis nobilitatis contentis à viro, sed non privilegiis clericatus. *Ibid. n. 2. § seq.*

20. Privilegium alicui concessum audiendi officia tempore interdicti, extenditur etiam ad familiares & domesticos. *Ibid. num. 8.*

21. Filius non gaudet privilegiis patris, excepta nobilitate, aut alia concessione à jure facta. *Ibid. n. 20.*

22. In dispensationibus non est argumentandum à paritate rationis, vel à majori ad minus, modo minus non includatur in majori; tunc enim dispensatio seu privilegium extendi videtur ad minus, quia qui concedit totum, censetur etiam concedere partes. *Ibid. num. 12.*

23. Privilegium personale amittit vim suam per mortem illius cui concessum fuerat, & privilegium reale non extinguitur morte illius cui concessum fuerat, sequitur enim rem ipsam, & successi vè transmittitur ad illos qui rem ipsam acquirunt. Idem dic de privilegio concessio dignitati vel officio, quod transit ad illos qui talem dignitatem vel officium successi vè obtinent. *Ibid. punct. 8 § 1. num. 1. § seq.*

24. Commissiones datæ Vicario Episcopi, possunt expediri per successorem, eo amoto ab officio vel mortuo; commissiones verò datæ officiali Episcopi, sunt expediendæ per officialem principalem, si Episcopus duos habeat officiales. *Ibid. n. 9. § 10.*



25. Canonicus potest post resignationem Canonatus cognoscere de causa sibi personaliter commissa tempore Canonatus; quia commissio personalis sequitur personam instar privilegii: at commissio facta legato, etiam sub nomine dignitatis, extinguitur finita legatione, & non transit ad successorem, quia legatus non dicitur propriè habere successorem. *Ibid. n. 14. & 15.*

26. Petes, an is cui datur commissio, debeat in dignitate existere tempore rescripti, vel repræsentationis, vel potius utroque tempore Rescripti sufficere, ut is cui dispensatio committitur, in dignitate existat tempore impetrationis, seu data, ut vulgo dicitur, quamvis præsentationis tempore remotus fuerit ab illa dignitate. *Ibid. n. 17.*

27. Ille cui delegatur potestas dispensandi, non potest per alium dispensationem expedire, potest verò receptionem testium & informationem alii committere. *Ibid. n. 18.*

28. Privilegium ritè obtentum, seu gratia jam facta, non cessat morte concedentis, modo privilegium concessum sit simpliciter sine aliqua conditione, seu particula restringente usque ad mortem concedentis; & modo sit acceptatum ante mortem concedentis: quamquam multi probabiliter contrarium sentiant. *Ibid. num. 19.*

29. Jurisdictio alicui data sub nomine dignitatis, non extinguitur morte concedentis, ut si dicatur: *Sedes Apostolica hoc tibi negotium mandat.* *Ibid. num. 32.*

30. Privilegium concessum ad beneplacitum concedentis, expirat morte concedentis, quia beneplacitum concedentis cessat morte concedentis. *Ibid. § 2. num. 3.*

31. Privilegium gratuitum, quo alicui subdito datur facultas faciendi contra jus, vel potius præter jus, potest ex justa causa revocari à concedente, vel à successore, vel ab ejus Superiore, consequenter privilegium amitti potest per revocationem illius; secus dicendum de privilegio dato per contractum onerosum, & dato in remunerationem, quod Superior revocare nequit sine debita compensatione. *Ibid. § 3. n. 1. & 2.*

32. Privilegium revocatur vel expresse per verba sufficienter indicantia revocationem privilegiorum in specie vel in genere; vel revocatur tacitè, ut si concedens faciat aliquem actum, qui non possit subsistere absque derogatione privilegii, ut si Princeps jubeat exigi tributum ab eo quem exemerat à tributis. *Ibid. num. 11. & 14.*



33. Dispensationes alicui concessæ in foro externo à Summo Pontifice, non censentur revocatæ per clausulam generalem revocantem privilegia. Neque revocatio facta per huiusmodi clausulam generalem extenditur ad Bullam Cruciatam, aut ad privilegia contenta in Conciliis generalibus, nisi aliter constet de mente concedentis, aut nisi privilegium imitem redderetur. *ibid. n. 12 & 13.*

34. Per legem subsequentem non revocantur privilegia non contenta in corpore juris, nisi fiat mentio privilegiorum; item neque per particulare mandatum seu præceptum, seu rescriptum Principis; neque per subsequens privilegium contrarium; revocatur tamen per sententiam latam contra illum ab eo qui potest privilegium auferre. *Ibid. n. 15 & seqq.*

35. Rursus revocatio privilegii fit adhuc per legem publicam seu promulgatam, & per privatam revocationem, *ibid. n. 19.*

36. Utroque modo facta operatur suum effectum privata, postquam pervenit ad notitiam illius cui concessum fuit privilegium. *Ibid. n. 20.*

37. Confessarius validè absolvit facta privatim revocatione facultatis sibi ignotæ; secus dicendum, si revocatio facta fuit per legem; quia revocatio facta per legem sortitur suum effectum, quamvis ignoretur. *Ibid. n. 22.*

38. Quæres, cuinam facienda sit revocatio privilegii concessi communitati, vel Collegio, vel ordini, vel civitati, vel Provinciæ, &c. Respond. sufficere, si fiat corpori, seu communitati, & non esse necesse, ut innotescat singulis. Idem satis est, ut revocatio publicetur in loco cui concessum fuerat. *Ibid. n. 24.*

39. Privilegium amittitur per voluntariam privilegii renuntiationem factam à privilegiario, & acceptatam à concedente, non autem amittitur per renuntiationem factam per dolum vel metum. *Ibid. § 4. n. 1. & 2.*

40. Privilegium affirmativum quo conceditur facultas aliquid faciendi in gravamen aliorum, amittitur per non usum privilegii, quatenus illi in quorum gravamen cedit privilegium, præscribunt exemptionem à tali onere per tempus legitimum; privilegium verò quod non cedit in gravamen alterius, non amittitur per non usum. *Ibid. §. 5. n. 1 & 4.*

41. Privilegium amittiturne per contrarium usum, id est, per actum contrarium privilegio? Respond. amitti per usum



materialiter, & formaliter contrarium toti privilegio, Ut  
autem actus dicatur contrarius privilegio, debet fieri ab  
ipso privilegiario. *ibid.* §. 6. n. 2 4 & 11.

42. Privilegium non amittitur, quoties ex signis & conje-  
cturis sufficienter constat privilegiarium aliquid fecisse ani-  
mo non renuntiandi. *ibid.* num. 5.

43. Si Privilegium cedit in utilitatem privatam: ille po-  
test renuntiare privilegio, in cuius favorem concessum est;  
quando verò privilegium concessum est ob bonum com-  
mune, non potest à privata persona renuntiare, etiamsi re-  
dundet in bonum illius personæ privatæ, modo bonum pri-  
vatum non sit separabile à communi. *ibid.* num. 7. & 10.

44. Privilegium quod habet tractum successivum, præ-  
cisa protestatione, amittitur secundum quid in utroque fo-  
ro per quemlibet actum materialiter & formaliter contra-  
rium privilegio, modo fiat ab eo qui potest privilegio cede-  
re, vel de ipsius consensu & voluntate; secus dicendum de  
privilegio quod respicit unum actum, seu quod fit inconti-  
nenti: hoc enim simpliciter tollitur per unum actum contra-  
rium præcisa protestatione, quia renuntiatio quoad unum  
actum in tali eventu censetur renuntiatio simpliciter. *ibid.*  
num. 14. & 16.

45. Qui abutitur privilegio contra finem & causam pri-  
vilegii, vel ultra limites & terminos illius, ipso jure amittit  
privilegium quoad effectum quem agit; nam talis abusus  
tollit fundamentum privilegii; & actus censetur factus sine  
potestate, & consequenter irritus quoad id in quo excedit  
potestatem *ibid.* §. 7. n. 6.

## ADDITIO.

Gratia, vel privilegium, in quo dicitur, donec voluerit,  
vel, donec aliter ordinaverit: vel, ad beneplacitum sedis A-  
postolicæ, durat mortuo concedente Quòd si dicat Pàpa: ad  
nostrum beneplacitum, expirat eo mortuo, *c. si gratiose, de  
rescript. in 6.* & est communis, vid. *Fum. l. c. num. 9* In privile-  
gio nomine marium intelligantur etiam femina.

Privilegium Principis intelligitur sine præjudicio tertii,  
alio saltem, quam excepto: *c. super eo, de offic. deleg. Navarz.  
conf. 2. de jud. n. 3.*

Privilegium in dubio non præsumitur revocatum, *glos. 23.*  
9. 2. privil. L 1 5 PRIVI.



Privilegium extenditur ad casus similes: latissimè enim interpretandum, ubi id verba permittunt, Syl. l. c. num. 3. Fumus num. 5.

Privilegium non tollit legem, aut consuetudinem, aut ius privati, nisi exprimat nominatim derogando. vid. Jason. in l. quomod. Princip. ff. de cons. princ. num. 16. rub. gloss. antequam de cap. monach. lib. 6.

Privilegia Mendicantium non revocantur, nisi de illis fiat expressa mentio.

Privilegio dato à Papa, non possunt religiosi renuntiare, sine eius licentia.

Privilegio sibi cum aliis communi non potest quis renuntiare sine superioris licentia, vid. Fum. Privilegium n. 9. Syl. eod. n. 19. §. 8.

*Præcurator.*

Vid. v. *Accusator.*

*Professio.*

Vide v. *Apostata, Religiosus, Votum.*

*Promissio.*

Vide v. *Sponsalia.*

1. Promissio est datio fidei, deliberata, vera, & spontanea; de re licita & possibili. tom. 2. de Contractibus, disp. 3. q. 1. punct. 1. num. 1.

2. Qui promittit animo promittendi seque obligandi, sed cum animo non adimplendi, tenetur stare promissioni, nam ex promissione facta animo promittendi & se obligandi naturaliter confurgit obligatio adimplendi promissionem; secus de eo qui promittit, ignorans naturam promissionis, nisi intendat facere quod alii faciunt promittendo. *ibid.* n. 8. & 9.

3. Promissio facta ad indicandum tantum animi desiderium, vel affectum, vel propositum; aut facta urbanitatis gratia, non obligat, quia promittens non intendit se obligare. Idem dicendum de promissione facta per dolum aut

metum



metum saltem gravem, hæc enim non obligat, nisi juramentum ei addatur, *ib. d. num. 12. 13. & 14.*

4. Qui interius promisit Deo se ducturum aliquam feminam quam defloravit, sub promissione matrimonii, tenetur promissionem Deo factam adimplere; quia hujusmodi promissio est de re meliori, quam sit ejus ommissio, cum sit de re quam promissor tenetur facere. *ibid. num. 20.*

5. Promissio quæ fit Deo, non obligat, si sit impeditiva majoris boni, obligat autem si fiat homini, & quando semel ab homine acceptata est, non potest auferri absque consensu illius cui facta fuit: at promissio facta Deo quæ obligat ut votum, potest per commutationem vel dispensationem tolli. *ibid. num. 23.*

6. Promissio mere interna non obligat, nisi fiat per modum voti de meliori bono, quia ut promissio obliget, debet acceptari, sed promissio interna nequit acceptari, nisi exterius proferatur, ergo, &c. At promissio gratuita, externa, & acceptata obligationem inducit: & eam non adimplens, peccat mortaliter, nisi parvitas materiæ excuset. *ibid. punct. 1. num. 1. & seq.*

7. Estne liberum promissario acceptare promissionem multo jam tempore factam, & non revocatam? Respondetur affirmativè: nam promissio facta & non revocata, durat; consequenter ille cui facta fuit, potest eam acceptare, & jus per acceptationem acquirere. *ibid. n. 6.*

8. Ut autem promittens peccet non adimplendo promissionem gratuitam, requiritur primò ut promittat animo non promittendi, & se obligandi, ut promissio sit rei licitæ & possibilis; deinde ut sit promissio rei notabilis, & ut res in eodem statu permanserint, & non fuerit ita notabiliter mutatus status rerum & personarum, ut si menti occurrisset talis mutatio, non esset facta promissio, nisi cum exceptione; denique requiritur ut promissio sit acceptata. censetur autem acceptata promissio facta in favorabilibus ei qui tacet, modo qui tacet sit præsens moraliter, & intelligat sibi promissionem fieri, & consequenter valida erit hujusmodi promissio positis ceteris conditionibus jã allatis *ib. n. 8. & 9.*

9. Qui promittit aliquid animo se obligandi solum sub veniali, tenetur solum sub veniali promissionem adimplere, & hoc verum est, etiam si materia sit gravis. *ibid. n. 11.*

10. Ille potest acceptare promissionem in favorem absentis,



sentis, vel donationem, qui ex ea commodum reportat, modo verba promissionis in ipsum directa sint: vel is, cui ex jure id convenit, vel cui hoc negotium committitur. Unde qui alterius curam gerit, potest acceptare promissionem nomine illius cujus curam gerit, ut Prælati vel Parochi nomine suæ Ecclesiæ; tutor nomine pupilli; curator nomine majoris; pater & mater pro filio & filia: hi enim censentur reportare commodum ex promissione quam acceptant pro eo, cujus curam gerunt. Item qui alterius juri sunt subditi, validè possunt stipulari pro illis, quorum juri subditi sunt, ex gr. filius pro patre, servus (sed non mercenarius) pro domino, imò socius pro socio, uxor pro marito potest stipulari. Item judex nomine partis absentis, & alter pro altero, etiam in causa doris potest stipulari. Denique is potest stipulari & acceptare, qui ad hæc habet speciale mandatum. Adverte tamen, promissorem non teneri ad implere promissionem acceptatam à tertio, antequam ratificetur ab eo in cujus favorem facta est, cum is possit illam respuere. *ibid. punct. 3. num. 4. & seq.*

11. Ut promissio vel donatio facta absenti per nuntium, vel per litteras valida sit, requiritur ut promissio vel donatio deferatur promissario vel donatario per litteras, seu per nuntium ad hoc destinatum; coram quo promissio quæ defertur debet acceptari, & non sufficit si coram alio acceptetur. Præterea requiritur ut promittens non revocavit promissionem: nam si revocavit, & revocatio mandati innotuit mandatario invalida est. *ibid. punct. 4. n. & seq.*

12. Invalidæ sunt promissiones, quibus præbatur occasio peccandi: ut si quis alteri promittat se remissurum obligationem de furto, de injuria; &c. Item promissiones quibus adimitur facultas disponendi de rebus suis, irritantur à jure: ut si quis promittat alteri se non revocaturum testamentum, aut se non electurum alium præter ipsum in hæredem. *ibid. punct. 5. num. 2. 3.*

13. Promissio antea valida & acceptata, desinit obligare, quoties supervenit notabilis mutatio, quæ si tempore promissionis adfuisset, vel præcogitata fuisset, judicio prudentis promissionem impedivisset. Et hoc valeat etiam promissio firmata sit juramento. Hinc sequitur promissionem non obligare, si res promissa facta est inutilis, vel damnosa, vel impossibilis, vel illicita. *ibid. punct. ult. n. 1. & seq.*

AD.



## A D D I T I O.

*Puer.*

Puer ante septennium non ligatur Ecclesie legibus, imò secundum quosdam, nec ante duodecimum censuris. Certè infantes non comprehenduntur interdicto, nec prohibentur ingredi monasteria: prohibentur tamen tempore interdicti sepeliri in loco sacro. *Puer ante*) vid. *Censura* 1. *confessio* 3. Certè *infantes*) Covarr. in *c. alma*. p. 2. §. 4. nu. 5. Cord. q. 60. Syl. *interdictum*. 2. *vers. decimum septim.* Sayr. l. 5. c. 4. num. 21. Sed Nav. c. 27. n. 168. comprehendit idem Maiol. l. 20. de *irregul.* nu. 1. de pueris capacibus *Nec prohibentur*) Sayr. l. c. Nav. com. 4. de reg. n. 59. Cord. l. c. si nondum septennium attigerunt. *Prohibentur tamen*) Vid. Sayr. l. c.

## A D D I T I O.

*Purgatorium.*Vid. v. *Indulgentia, Oratio.*

Remittuntur in purgatorio peccata venialia hic non remissa per displicentiam, vel actum e charitatis, in quo virtualiter poenitentia includitur. *Depur.*) Val. t. 4. d. 11. *quest.* 1. Bellar. t. 2. lib. 2. Cath. Scol. in 4. Joan. Eck. *Peres. de trad* Vid. Bellar. l. 1. c. 9.

In purgatorio igne anima vexata, in gratia sunt confirmata, ac perinde certæ de sua salute. Bel. l. c. 4. Val. l. c. *asser.* 2.

Pœnæ purgatorii paulatim remittuntur. Bellar. l. c. *cap.* 14. *in fin.*

Post ultimum iudicii summi diem nullæ erunt purgatoriarum pœnæ. Aug. l. 21. de *Civ. cap.* 16. Vid. Bellarm. l. c. c. 9.

## A D D I T I O.

*Questuarii.*

Questuarii eleemosynarum nullibi admittendi. Ex *Conc. Trid.* ubi tamen non prohibentur, qui sine indulgentiarum